This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

BX
4638
.C9
V98
D62

THE UNIVERSITY OF MICHIGAN · LIBRARIES ·





Reverendiſſime, Ampliſſime, Illuſtriſſime Baro Præpoſite!

Ex quo conſtat, Suam Sacratiſſimam Cæſareoregiam Majeſtatem Franciſcum II., Regem noſtrum pientiſſimum, juxta ac clementiſſimum, vigore diplomatis dd. 23. Decembris anni lapſi inſignem Sedem Præpoſitalem Wiſchehradenſem Tuæ Reverendiſſimæ ac Illuſtriſſimæ Amplitudini benigniſſime impertiri dignatam eſſe: habet profecto cauſas haud paucas, haud vulgares pervetuſtum regium Wiſchehradenſe Canonicorum Collegium, ob quas non minus Sibi, quam Tibi, Domine Reverendiſſime ac Illuſtriſſime, multum omnino gratuletur. — Patere quæſo, utrasque paucis ut commemorem prius, quam aperiam, quid me ad ſcribendam, quam Reverendiſſimo ac Illuſtriſſimo Nomini Tuo hisce dedicandam duxi, Præpoſitorum noſtrorum Seriem, ac ad præmittendam eidem ſuccinctam inſignis Capituli noſtri hiſtoriam impulerit perduxeritque.

Sedes præpoſitalis, quam emenſo ſex & viginti annorum in animarum cura ſpatio adeptus es, Reverendiſſime ac Illuſtriſſime Baro Præpoſite, ex numero earum eſt, quibus, ſive ſplendorem,

ſive

ſive commoda emolumentaque adnexa conſideret, paucas noſtra in Patria ſimiles, paucas præponendas æquus rerum æſtimator deprehenderit. Inficias quidem ire haud lieet, & ſplendorem, & emolumenta Sedis Tuæ a ſplendore ac emolumentis glorioſiſſimorum Deceſſorum Tuorum (quos Inclyti Regni Bohemiæ Principes Supremosque Cancellarios per ſæcula complura fuiſſe, redituumque quot annis ad octoginta millia aureorum olim participaſſe Hammerſchmidius noſter ex monumentis fide dignis memorat) impræſentiarum multum omnino differre diſcrepareque; neque tamen, præſertim ab ætate Ferdinandi II. Imperatoris ac Regis noſtri apprime Catholici, (qui Præpoſitis Wiſchehradenſibus Zitenicium, præclarum circuli Litomericenſis, & olim Capituli Wiſchehradenſis bonum, qua iisdem proprium poſſidendum reſtituit, eosque inter primos Regni Bohemiæ Prælatos cenſeri voluit), Sedes Præpoſitorum noſtrorum ſingularibus gaudere prærogativis deſiit, nec emolumentis ſingularibus ad hunc usque diem caruit. --- Quod vero eidem nullo non tempore ſplendorem conciliavit ſane peculiarem,

per-

perampla eſt Series Præpoſitorum regio ſanguine prognatorum, Regni Bohemiæ Principum ac ſupremorum Cancellariorum, quorum complures non ad Epiſcopatus modo domeſticos extraneosque, verum & ad inſigniores Germaniæ Archiepiſcopatus, imo ad Patriarchatum Aquilejenſem, quid? quod & ad eminentiſſimam purpuratorum Sacræ Romanæ Eccleſiæ Patrum dignitatem fuere evecti, exaltati. Hos inter celeberrimos Deceſſores Tuos, quorum nomina heic referre juvat, memorantur *octo* regio ſtemmate prognati, videlicet:

Brzetislaus, qui & quinquennio Dux Bohemis præfuit. Arnoldus. Philippus. Wladislaus. Joannes II. Joannes III. Henricus. Joannes IV.

Ad Epiſcopatus diverſos promoti *octodecim:*

Joannes I. ad Pragenſem. Brzetislaus ad eundem. Arnoldus ad Sequienſem. Petrus a Reichenſtein ad Baſileenſem. Joannes III. ad Olomucenſem. Petrus Aichspaldius ad Viennenſem & Baſileenſem. Marquardus ad Auguſtanum. Theodoricus ad Mindenſem. Henricus ad Hildesheimenſem. Lambertus a Buren ad

Bri-

Brixienſem, Argentoranum, Spirenſem, poſtremo ad Bambergenſem. Rabanus ab Helmſtad ad Spirenſem. Wenceslaus ad Olomucenſem. Joannes V. ad Litomiſchlienſem & Olomucenſem. Conradus ad poſteriorem. Paulus de Miliczin ad eundem. Jodocus de Rosnberg ad Wratislavienſem. Joannes Adamus Comes Wratislaw de Mitrowicz ad Regino-Hradecenſem, dein ad Litomericenſem. Immediatus Anteceſſor Tuus Ferdinandus Eques a Schulſtein ad poſtremo loco nominatum.

Evecti ad Archiepiſcopatus *octo*, ſcilicet:

Sigefridus ad Moguntinum. Philippus ad Salisburgenſem. Wladislaus ad eundem. Petrus ad Moguntinum. Theodoricus ad Magdeburgenſem. Rabanus ad Trevirenſem. Zbygnæus & Joannes Adamus ad Pragenſem.

Patriarchæ Aquilejenſes *quinque*:

Philippus. Nicolaus. Marquardus. Joannes IV. Wenceslaus.

Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinales *duo*:

Sigefridus Baro ab Eppenſtein. Joannes V. de Praga, dictus ferreus.

Splen-

Splendorem & gloriam, quæ ex hacce perampla ſummis eccleſiaſticis dignitatibus exornatorum Deceſſorum Tuorum Serie & in Te, Reverendiſſime ac Illuſtriſſime Baro Præpoſite, redundat refunditurque, ubi cum præſenti Sedis Tuæ gloria emolumentisque ſpectamus, quidni habeamus cauſas complures Tibi de noſtræ Sedis Præpoſitalis adquiſitione gratulandi, annis quam plurimis hacce gloria & emolumentis ut perfruaris, ampliora uti Deceſſores Tui porro ut conſequaris, optimo Præpoſito haud fucate adprecandi?

Aſt non gratulamur ſolummodo Tibi Reverendiſſime ac Illuſtriſſime Baro Præpoſite, de adquiſitione præclaræ Sedis, qua Temet beare Majeſtas Cæſareoregia dignata eſt; gratulamur & Nobis ex cauſis bene multis, quod inſigni Capitulo noſtro Prælatus Defenſorque obtigeris. --- Sane vel id ſingularem Nobis gaudendi ſuggerit materiem, quod Tuam Reverendiſſimam ac Illuſtriſſimam Amplitudinem ad Præpoſitalem Sedem Wiſchehradenſem exaltando, Suam Sacratiſſimam Majeſtatem, Regem noſtrum clementiſſimum, ſpecialem ſuam Regiam erga noſtrum Regium Capitulum benevo-

len-

lentiam commoniſtrare voluiſſe ſuſpicamur, ubi ex numero complurium haud indignorum Candidatorum ſeligere dignata eſt Eum, quem noſtri Capituli olim fuiſſe membrum, dein vero Wiſchehradenſi ex reſidentia ad Præpoſituram Novodomenſem a beatiſſimæ memoriæ Auguſtiſſima Avia ſua Maria Thereſia novit eſſe promotum. — Alterum, quod gaudendi anſam non minus gravem nobis ſubminiſtrat, hæc eſt perſuaſio, futurum certo: ut Reverendiſſima ac Illuſtriſſima Amplitudo Tua, utpote bene gnara, quantopere præſertim Præpoſitorum noſtrorum benevolentia, cura & ſolertia indigeamus, quidquid ad ſalutem Corporis noſtri promovendam conducere poſſe perviderit, promptiſſime ac omnibus viribus exequatur. — Adjicient ſane calcar ad bene merendum de inſigni Capitulo noſtro non minus præclara Deceſſorum Præpoſitorum exempla, verum & Majorum Illuſtriſſimæ familiæ Hennigerianæ pro Eccleſia Catholica in Regno Bohemiæ contra Huſſitas defendenda peregregia facinora, quæ ut remuneraretur Sigismundus Rex noſter, anno Regni Bohemiæ tertio, diploma exarari fecit,

quod

quod ex originali tranſumtum ad calcem Seriei Præpoſitorum Noſtrorum juris publici faciendum cenſui.

Atque hæc ſunt, Reverendiſſime ac Illuſtriſſime Baro Præpoſite, quæ ad gratulandum Sibi de Tua ad Præpoſituram Wiſchehradenſem exaltatione Regio Capitulo noſtro rationes ſuppeditant. Hæc vero non minus ea ſunt, quæ ad ſcribendam Præpoſitorum noſtrorum Seriem, ſuccinctamque celeberrimi Capituli noſtri eidem præmittendam hiſtoriam memet incitarunt perduxeruntque. Hac quippe ratione & id procuraturum eſſe me judicavi, ut Bohemiæ rerum Wiſchehradenſium minus gnaræ manifeſtum fieret, quantopere Tibi, quantopere Nobis, rebus ita, uti expoſui, conſtitutis gratulari oporteret.

Accipe nunc, Reverendiſſime ac Illuſtriſſime Baro Præpoſite, hancce qualemqualem, optimo quidem conſilio, aſt ob anguſtiam temporis minus perfecte concinnatam lucubrationem meam ea cum benevolentia, qua memet prima mox vice, ubi Tuæ Ampli-

plitudini confabulandi copia mihi facta est, excepisti, quemque favore complecti cœpisti Tuo, eodem, quoad vixerit, prosequi non cessa

Reverendissimi, Amplissimi ac Illustrissimi Nominis Tui

reverentissimum, amantissimum
ac obsequentissimum
Canonicum Dittrichium.

Succincta Hiſtoria ſacroſanctæ pervetuſtæ, Regiæ, collegiatæ Eccleſiæ SS. Apoſt. Petri & Pauli, in urbe olim, nunc caſtro Wiſchehrad ad Pragam regni Bohemiæ Metropolim; a tempore fundationis ejus ad noſtros usque dies.

Caput I.

Eccleſiæ collegiatæ Wiſchehradenſis fundatio, extructio, dotatio, Summorum Pontificum regimini ac protectioni commendatio.

Labebatur alterum ſæculi Chriſtiani XI. dimidium, cum Wiſchehradenſi in urbe (cui ſub regimine Przemisli, conjugis Libuſſæ data fuiſſe initia tradit Cosmas libro Chronici ſui primo), Eccleſia collegiata SS. Apoſtolorum Petri & Pauli a Wratislao II. Duce Bohemiæ, poſterioribus vero vitæ annis Rege noſtro primo fundaretur, conderetur, amplis latifundiis & reditibus dotaretur. — Prouti dubio caret, primam Eccleſiam S. Viti in monte olim ſuillo, nunc caſtro regio, a ſancto Wenceslao Duce & Martyre fuiſſe conditam; prouti certum eſt, eandem Baſilicam ſæculo X., regnan-

te Boleslao Pio, ſancti Martyris Wenceslai ex fratre nepote, ad cathedralem fuiſſe evectam; ita & dubio caret omni, ſæculo XI. complures collegiatas in Bohemia erectas fuiſſe Eccleſias. --- Boleslavienſem ſane collegiatam ad a. 1046. a Brzetislao Hectore ac Achille Bohemico, diverſorum in Bohemia & Moravia monaſteriorum fundatore, extructam fuiſſe dotatamque manifeſte docet diploma Brzetislai Ducis, quod Annalium Hajecianorum Tomo V. p. 310. a Dobnero vulgatorum legitur. Litomericenſem vero collegiatam in Brzetislai filio & Wratislai II. fratre Spitigneo ad a. 1058. habuiſſe auctorem dotatoremque, docemur diplomate originali, quod in archivo Capituli Litomericenſis ſervatur, exſtatque æri inciſum in Dobneri Annalibus Tom. V. --- Eccleſia porro Wiſchehradenſis SS. Apoſtolorum Petri & Pauli fundatorem habuit Wratislaum II. Spitignei fratrem, Brzetislai filium, qui a. 1070, exemplum ſecutus Conſtantini Magni, cum fundamenta Wiſchehradenſis Eccleſiæ jacerentur, aſportatis duodecim terræ onuſtis cophinis, duodecim Apoſtolos hac ratione veneraturus, eandem extruere cœpit; anno demum 1088. ad normam Eccleſiæ Vaticanæ efformatam, adprobante Romano Pontifice, ad collegialem evexit, copioſiſſimis latifundiis reditibusque eidem provìdit, privilegiis ſingularibus ornavit, Pontificum Romanorum regimini & protectioni commendavit, utque præcipuis indultis decoraretur, procuravit. --- Scribit hac de re Cosmas illorum temporum ſcriptor Chronici ſui libro 1. hunc in modum: „Dux Wratislaus in mori„bus Deo carus & hominibus, nec non in rebus bellicis miles præ„clarus, *inſpiratione divina commonitus* monaſterium 1) in metro„poli Boemiæ urbe Wiſſegrad vocata, quæ omnium terræ illius „civitatum quaſi mater eſt & domina, Deo juvante conſtruendum „pia mente propoſuit. Ad cujus propoſiti efficientiam non me-

„diocri

1) Hoc nomine id temporis veniebant etiam collegia Canonicorum, utpote ad vitam communem ducendam ea ætate obſtrictorum.

„diocri animo consilia pertractans, dignum duxit, quatenus mona-
„sterium, quod gratia Dei cooperante conficiendum devote *promi-*
„*serat*, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifici regendum, omnique ab
„adversitate protegendum, simul cum Canonicis ejusdem Ecclesiæ
„commendaret. Igitur Petrus Ecclesiæ sancti Georgii Præpositus
„Romam missus devota nuntia sui Ducis Domino Apostolico fide-
„liter insinuavit. Quo audito Venerabilis Papa Alexander II.
„Deo gratias pro tam felici præfati Principis desiderio retulit,
„moxque Synodum convocavit, in qua LXXII. Episcopi fuerunt.
„Quibus postquam omnia prædicti Ducis verba recitavit, cuncti
„unanimi corde & voce glorificantes Deum, qui sanctam suam
„Ecclesiam in toto orbe terrarum dilatare non cessat, respon-
„runt; Amen.„

Caput II.

Litteræ fundationis Wratislavianæ ex originali Wischehradensis Archivi recitantur.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Notum sit cunctis sanctæ Ecclesiæ filiis eandem sanctam Trinitatem confitentibus, præsentibus scilicet quam futuris: Qualiter ego Wratislaus Dei gratia princeps & monarcha Boemorum ob spem remunerationis æternæ & ob indulgentiam & absolutionem in hac vita omnium delictorum quædam propriæ ditionis prædia jure hæreditario a fidelibus, nobilibus, & hæredibus concambiata & absque ullius contradictione taxato pretio in præsentia multorum nobilium, imo veridicorum testium a me coempta absque solii conterminio cum omnibus ad hæc pertinentibus mansis, curtiferis territoriis, exitibus & reditibus, vectigalibus, venationibus, piscationibus, portibus, saltibus, vineis, pratis, pascuis cultis, & incultis ad Ecclesiam SS. Petri

& Pauli, sanctique Clementis Martyris atque Pontificis, in civitate Wischehrad constructam manu potestativa in manus charissimi & familiaris mei *Benedicti*, ejusdem Ecclesiæ *defensoris* & *Præpositi*, voto, fide, maxima devotione, spe vitæ æternæ concredidi, & sigilli mei impressione insignivi. Hæc autem prædiorum atque villarum ejusdem Ecclesiæ sunt nomina: *Zitenitz* tota villa cum vineis & pomeriis, cujus meta a fonte, qui exit de monte *Libin*, usque ad foralem viam, cum vinitoribus etiam *Wissera*, *Straz*, *Zwaton*, *Zvil*, *Necta*, *Gug*: *Tinecz* villa, *Jauraticzii* terra ad duo aratra. 2) *Malossovie* de terra novem mansos. 3) *Gosteni* tota villa præter hospites Abbatis *Brzewnoviensis*. *Voykovici* tota villa præter terram *sancti Clementis* de Opis. *Gogeliticz* sex mansos. *Kobowiticz* de terra ad duo aratra cum koko nomino Koh. *Wbelsce* & *Sihlicih* de terra ad duo aratra; in alia villa 4) eodem nomine nuncupata terram ad aratrum cum vinitore. *Lojaticih* ab hospitibus per totam villam decima. *Wboleslawze* pariter. *Wikowicih* septem mansos, de terra cum ministerialibus, quorum nomina sunt ista: *Radon*, *Zbor*. *Cekowicih* tres mansos de terra cum Cocis. *Bezne* de terra ad tria aratra. *Gazenicze* terra ad aratrum cum fabro. *Badreh* de terra septem mansos cum vinitoribus, quorum nomina sunt ista: *Radon*, *Nuzeck*, *Kazka*. *Lubgost* habens duo castra, scilicet *Grudim* & *Wratislaw*. *Janisovicii* tota villa. *Grusinewzii* terra Hrbek ad duo aratra. *Nacacigore* terra ad aratrum cum Coco 5) nomine *Odol*. *Sczistarih* terra ad aratrum cum mini-

2) Non constat, quantum fuerit, quod ad unum aratrum dicebant.
3) Per *mansum* intelligebatur tantum terræ spatium, quod modiis tritici sexaginta quatuor seminari potuit. Tantum igitur, quantum nostris temporibus sufficit ad prædium constituendum.
4) Per villam intelligitur hic loci pagus.
5) Pistorem nos vocamus.

niſteriali 6) nomine *Radon.* *Nanezminie* terra ad aratrum cum miniſterialibus, quorum nomina ſunt iſta: *Quek, Sobek.* *Wode-radeh* terra ad duo aratra cum miniſterialibus aquariis, quorum nomina ſunt iſta; *Shina* . . *Bogſicih* terra ad aratrum, & vinea cum vinitore *Dobrota.* In caſtro *Kaurim* miniſteriales ſex, qui dicuntur *Luze*; quorum nomina ſunt iſta: *Bogumil, Straz, Boſa, Teſen, Climata, Martin.* Ibidem Piſtor *Gwan.* *Hotiſi* octo manſos, quorum nomina ſunt iſta: *Leb, Vacena, Lutros, Slugota.* *Sinaz* terra ad quatuor aratra cum lagenariis, quorum nomina ſunt iſta: *Zdoben, Waſura, Slugah.* *Pſary* terra ad quatuor aratra cum ſcutellariis quatuor, quorum nomina ſunt iſta: *Ratibor, Goſtata, Sobata, Krisan.* *Lazenitz* terra ad quinque aratra cum quinque ſcutellariis. *Wrbczas* terra ad unum aratrum. *Gradiſti* novem manſos cum piſcatoribus, quorum nomina ſunt iſta: *Czerney, Groſnata, Zobon, Przemil, Rabez, Budka, Dobros, Bozteh. Naklku, Rehen, Piſcator.* *Brzezacz* octo manſos. *Blagoticzih* terra ad aratrum cum miniſteriali, nomine Biſek. *Hualah* terra ad ſex aratra. *Dubizi* terra ad duo aratra cum duobus ruſticis, quorum nomina ſunt iſta: Nezda, Martin. *Gannaticz* terra ad aratrum cum figulo. *Wrßowitih* terra ad aratrum cum duobus ſervis, quorum nomina ſunt iſta: *Maliska* cum fratre. Noſtuleh duo ſervi, quorum nomina ſunt iſta: Hrapa, Teſen. *Bogumil* cum omnibus hortis. *Bazei* ad duo aratra cum duobus cocis, quorum nomina ſunt iſta: *Teſen, Svoyboh.* *Lobei* terra ad tria aratra & tribus Piſcatoribus, quorum nomina ſunt iſta: *Tehan, Damagoſt, Wawrata.* *Na Gorugnie* terra ad duo aratra cum Piſcatore Zbud. *Drahlicih, Uwal,* Wozidlnik cum terra ad aratrum. *Kamenemoſtie* terra ad tria aratra cum miniſterialibus, quorum nomina ſunt: *Binka, Kwetika, Wroka.* *Raſch* terra ad aratrum cum miniſteriali nomine *Mareß*; *Wogaca* miniſterialis cum terra ad ara-

6) Per miniſteriales intellige homines ad operas aratorum dominis præſtandas obſtrictos.

aratrum. *Potliſcimi* terra ad tria aratra cum vinitoribus Pribiſa, Quas, Wiwka. Knowiſi XI. manſos de terra cum miniſterialibus Ztarek, Maluka, Oſtraba, Radoſta & aliis, qui vulgaliter dicuntur *Rudnici*, *Bekriſan*, *Ceka*. *Luboſinie* de terra ad ſex manſos cum vinitoribus Drh, Zbor, Zamen ibidem Becvor 7). Letona cum terra ad aratrum. *Ugercih* de terra tria aratra cum vinitoribus *Pivona*, *Plac*. *Degnicih* de terra ad duo aratra cum tornariis *Bogdan*, *Przemisl*. *Knaſaveci* de terra ad duo aratra cum miniſterialibus, qui dicuntur *Pomyi*, *Hinek*, *Trebek*, *Lubucavetz* & *Hedan* ablutor veſtium cum uno aratro. *Modriliczeh* terra ad duo aratra cum campanariis, Glupen, Kogata. *Zabelici* terra ad unum aratrum cum campanariis *Raſika*, Hoten. *Tineci* terra ad aratrum cum campanariis, Utes cum filiis, *Troc*, *Otrad*, *Navoy*, *Wtetinſce*, *Nabrodie* de terra ad duo aratra cum piſcatoribus *Kaka* cum fratre. *Obrgni* de terra ad duo aratra cum duobus picſariis 8), qui dicuntur *Pkelnici*, *Seb* cum fratre ad cuſtodiam. *Werigowicz* de terra ſeptem manſos. *Leteh* de terra ad duo aratra cum campanariis, *Deca*, *Lubgoſt*, *Ratata*. *Suchomaſteh* de terra duo aratra cum campanariis, *Milon*, *Zlawa*, *Tronak*. Swinarih terra ad aratrum cum porcario, qui dicitur *Swinak*, Uzdiz. *Nazhovie* quinque manſos cum piſcatoribus Bogdan, Wana, Bratruſſa, Kozel. *Pleſſivecz* totus mons usqua ad viam, ibi de terra ad duo aratra. *Nabrodie* tres manſos cum piſcatoribus *Kata* ---. Sub ipſo monte *Tetin* ſtagnum, quod dicitur *Tona*. *Mocropſi* duos manſos cum piſcatoribus *Modlata*, *Suma*. *Nagowizih* terra ad aratrum cum piſcatoribus, Sabata & fratribus ejus. *Na Golini* terra ad aratrum cum cuſtode Eccleſiæ *Cila*. *Komoracz* terra ad aratrum cum piſcatore *Milka*. *Brannicze* tres manſos, cum miniſterialibus, *Chwal*, *Set* cum fratribus, *Zluzak* cum fratribus. *Ninonizicz* terra ad aratrum cum caliciariis 9), qui dicuntur Casniczi, *Luboz*, *Benik*, *Kagek*. Ibidem terra *Kolwe* ad

7) Bečwář. 8) Smolaři. 9) s wápenjky.

ad aratrum. *Butowiczicz* terra ad aratrum cum caliciario *Milon.* *Na Letni* duos manſos cum campanariis, *Stiepan*, *Wlk*, *Bubneh* ſex manſos cum cuſtodibus *Milgoſt*, *Luba*, *Sara*, *Rados*, *Janis*. In provincia *Brizez*: *Suticih* duos manſos cum plauſtrificibus, *Hotes*, *Raton*. *Kaſtileh* quinque manſos cum miniſterialibus, *Duda*, *Nadey*, *Mirata*, *Boſa*, *Goce*. In *Satecz*, *Mezica*, *Goſelni*, *Trebata* cum terra *Casnik*. *Modlata* ferrarius cum filiis *Hotaka*, *Watzeta* qui ſolvunt ferramenta quater in anno. *Lumacicih*, *Bozen*, *Pkelnic* cum terra ad aratrum. *Ugoskaz* terra ad aratrum cum miniſteriali *Hwalata*. *Trnowaz* terra ad aratrum cum piſcatore nomine *Bozek* & filio *Budek*. In Pragenſi ſuburbio: *Nazatore*, *Quas*, *Kaska*, *Bogdan*, *Ymbram*. *Crecetine* terra ad aratrum cum cuſtode nomine Klib, campanarii *Maliska*, *Lutos*, *Domamir* faber, Odoten caltardus 10). Cuſtodes *Radowan*, *Zbor*, *Petrata*, *Milkowy*. Sutores *Wjt*, *Krekmey*, *Celac*. Cereviſiarii *Sobik*, *Seſur*, *Caſtan*. Kukularii 11), *Muliſa*, *Zkorak*, *Priſetzi*, *Zlabik*, *Skoroczka*, *Modlibogh*, *Bezdied*, *Bozata*. Fabri *Maczek*, *Krecz*, *Wawiek*, *Bohumil*. Piſtores *Quaßek*, *Radovan*, *Paliczka*, *Groznata*, *Biſek*, *Neſata*, *Piwona*, *Wratizir*, *Rak*. Sylvas etiam addidi *Lubicas*, *Baſti*, *Reſetarzih*, *Chvoyne*, usque ad viam, & portus tres *Naoltavie*, *Gogolitzicz*, *Lunih*. Decimam marcam de tributo per totam Bohemiam. *Zedlicih*, *Budeſinie* decima urna de melle, etiam ultra montem Oſec decima urna de melle in omni juſtitia. De pellibus caprinis decimam, de cereviſiariis decimam. Decimus meſſor, decimus fœniſeca. In provincia *Wltavienſi* decimus denarius de venditione. *Prachaticzi* via in omni juſtitia. A Villico Pragenſi de venditione decimus denarius. In provincia *Tethinenſi* de venditione decimus denarius. In provincia *Kamenczenſi* de venditione decimus denarius. In via *Golotilenſi* de telonio octavus denarius. Na *Treſteniczi* de decem lapidibus ſalis duo lapides, decimus panis, piſcis ſecundus.

De

10) Kotlář. 11) Sſitaři.

De omni juſtitia partem. Decimam de omulo 12) per totam terram, quæ pertinet ad Ducem. Tertia urna de apibus ductricis ultra montem *Oßek*, de uno quoque caſtro menſale unum, & manuterium unum omni anno. A Villico Pragenſe de meſſoribus *Netolicenſibus* & *Dutlebenſibus* Præpoſito decima ovis. In feſto *Pentecoſten* ancilla, ſive ſexingenti denari, in feſto S. Benedicti bos, in feſto SS. Martyrum Georgii atque Adalberti bos; in feſto S. Wenceslai ab Agazone poledrum 13); de avena XV. modii; de frumento XIX. modii. A cellario de melle XVII. urnæ, Zagradnego XVI. okau 14). Super hoc autem Pragenſis Epiſcopus ducentos homines, & Olomucenſis vero centum in decima, fratribus Regis præſentibus, Conrado videlicet & Ottone, eidem Eccleſiæ perpetuo jure devoverunt. Ut autem datis ordinatio competentius ſervaretur, æquum duxi, fratribus meis præfatis laudabiliter aſſentientibus, cæterisque tam Bohemiæ, quam Moraviæ Principibus, ſuper memoratum templum Beati Petri Principis Apoſtolorum, cunctisque ſuæ Cathedræ ſucceſſoribus patrocinio muniminique commendare. Propter quod etiam de eadem Eccleſia XII. marcas ſingulis annis ad pedes univerſalis Papæ a *Paſcha* usque ad *Aſcenſionem* Domini de moneta noſtræ provinciæ ſtatuimus offerendas. Ad hujus igitur laudabiliter noſtri operis ſupra memorati confirmationem teſtimonium adhibuimus virorum venerabilium, Domini videlicet *Joannis Tuſculanenſis* Epiſcopi, & Cardinalis; Domini etiam *Egilberti Trevirenſis* Archiepiſcopi, a quo ſimul & unctionem regalis conſecrationis accepi, Domini quoque *Pragenſis* Epiſcopi videlicet Jaromiri, & Domini Olomucenſis Epiſcopi *Weczelonis*, & *Miſnenſis* Epiſcopi Domini Bennonis, qui auctoritate Dei, & Beati *Petri* & *Pauli* Principum Apoſtolorum, & ſanctorum Martyrum *Viti*, *Wenceslai* & *Adalberti*, nec non & omnium Sanctorum, juſſuque apoſtolicæ ſedis inſtructi ſub anathematis vinculo quos-

12) 3 chmelnic. 13) Hinnulum. 14) Okowů.

quoslibet noſtræ inſtitutionis quoquo modo immutatores ſive deſtructores forte emerſuros cum cæteris membris Diaboli innodatos damnaverunt. Amen.

Caput III.

Privilegia & Prærogativæ ab aliquo Pontificum, qui exeunte ſæc. XI. Romanam occuparunt ſedem, Eccleſiæ collegiatæ Wiſchehradenſi conceſſæ.

Verbis Capite I. ex Cosma citatis, in editione Freheriana, ſequentia leguntur ſubjecta:

„Dominus ergo Papa Petrum Præpoſitum Domino ſuo cum „Privilegio in hæc verba remiſit. --- Alexander ſervus ſervorum „Dei, urbis Romanæ Epiſcopis & Papis ſuis ſucceſſoribus, nec non „catholicis Epiſcopis, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ ſubjectis cun„ctis, utriusque vitæ proſperitatem & Apoſtolicam benedictionem „a ſummo Deo cum omnibus Sanctis. --- Ea, quæ Dominus Deus „ſuam per clementiam ad augmentum Apoſtolicæ ſedis condonare „dignatus eſt, ad agnitionem omnigenarum linguarum hoc ſub chy„rographo propagari volumus; primum quidem miſericordiam Dei „ſuper nos diffuſam liquide annunciamus. Bohemorum Dux Wra„tislaus, Vir chriſtianus, fidei integerrimus amator, rebus in bel„licis magnificus triumphator, quod ſereniſſime ubique terrarum „claruit, limina Apoſtolorum Petri & Pauli honeſtos per nuncios „cotidie viſitans, Nos cæterosque in Dei ſervitio devotiſſimos omni „beneficio non minus præteriens, piæ mentis devotione innotuit. „Multa ante tempora votum Deo vovi, quod adhuc nequaquam im„plevi. Eccleſiam in honorem Salvatoris noſtri, cujus ubique pro„tectione munitus, veſtræ pietatis auxilio ædificare cupio. Dictis „talibus auditis, pontificalis apex ut adcreſceret, ſanctorum Patrum

„numero ſeptuaginta duorum communi conſilio penitus collauda-
„vimus. Igitur ad hæc perficienda *Joannem* Epiſcopum Tuſcu-
„lanenſem fundamentum dare miſimus, cujus in præſentia ipſe
„Dux cophinos terra onuſtatos duodecim, propriis humeris portaſſe
„videbatur. Locus ergo, in quo eſt erecta, Wiſſegrada cognomi-
„natur, quod ſonat litteraliter, aſtion civitatibus. Quam ſacroſan-
„ctam Eccleſiam totius provinciæ caput dici, venerari ſanximus,
„prædiis, mancipiis, auro, argento, cæterisque ornamentis decenter
„ditatam comperimus. Epiſcopi ejus ſub Dominio ſuis de decimis
„trecentos homines ad eandem Eccleſiam ſegregarunt; Præſul Pra-
„genſis ducentos, Olomucenſis centum, fratrum ſuorum *Conradi*,
„*Ottonis* conſenſu. Hoc itidem aſylum tutamini beati Petri Prin-
„cipis Apoſtolorum cunctisque in ejus ſede ſeſſuris firmiter com-
„mendavit. Marcas XII. de eadem Eccleſia ad pedes univerſalis
„Papæ, quicunque erit, omni anno offerendas ſub Chriſti teſtimo-
„monio deſtinavit. Hujus vero conditionis gratia celſior in eadem
„regione ut videretur Eccleſiis, qualicunque apparamento ſeptem
„Cardinales altari ſancti Petri miniſtrare ſolent, mitra, ſandaliis;
„ſimili modo ipſius Eccleſiæ Præpoſitum, Presbyterum, Diaconum,
„Subdiaconum incedere præcipimus. Laudes, quas ſub diademate
„ſtatutis diebus proclamare ſolemus, ſolummodo in iſta Eccleſia
„aſtante Duce ſumma diligentia Chriſtum collaudare permittimus.
„Chriſma baptizandi, conſecrationem Clericorum, Epiſcopus loci
„illius invidia Diaboli attactus abnegare ſi præſumpſerit, noſtri
„decreti judicio apud quemlibet Epiſcopum inveniat & accipiat.
„Nemine autem præpediente omnem injuriam in Romana Synodo
„libere proclamet.

„Scripta iſtarum litterarum ſigillo impreſſo ſupra venerandum
„corpus Beati Petri Apoſtoli poſuimus, maxime ea pro cauſa, ut
„ſi quis Dei inimicus, mandatorumque ejus contemptor hoc divel-
„lere voluerit, ſciat ſe ab Omnipotenti Deo in perpetuum conde-

„mna-

„mnatum, ac cum cœtibus Sanctorum nil commune fore, sed cum „Diabolo inextinguibili gehennæ incendio æternaliter concremari. „Data hæc in manus Petri Præpositi sancti Georgii in Palatio La„teranensi sub Henrico rege, filio Henrici glorioſiſſimi Imperato„ris, VII. Idus Maji.„

Hanc quidem Bullam ſive privilegium Alexandri II. haud eſſe genuinam, nec a Cosma Chronico inſertam, ſed ab interpolatore quodam eidem intruſam, pluribus oſtendit Dobnerus Annalium Hajecianorum Parte V. ad a. 1070. Nihilominus idem eruditiſſimus Patriæ ſcriptor loco citato §. II. pag. 405. mentem ſuam candide expromens, non veretur adfirmare, eandem partim ex Bullis Alexandri II. ac Urbani II., nec non diplomate Wratislai fuiſſe conſarcinatam; nec eſſe dubitandum, quin decora & privilegia in Bulla Alexandri II. commemorata non nihil ſerius --- Wratislao fundatore id impetrante --- Eccleſiæ Wiſchehradenſis Canonicis, reliquisque miniſtris fuerint conceſſa, & quidem vel a Victore III., qui ab anno 1086. ad 1088. Petri ſedem occupavit, vel ab Urbano II. ejusdem Victoris ſucceſſore, qui ſedem Pontificiam ab a. 1088., usque ad a. 1099. tenuit. Hajecius certe noſter de Bulla Urbani II. mentionem ingerit, ubi ad a. 1088. ſuo in Chronico ſcribit: „Ad iteratam petitionem Wratislai Urbanus Joannem Cardinalem „Tuſculanum & Petrum Præpoſitum S. Georgii miſit, qui perfe„ctum opus rite dedicarent, ſimulque in locum Canonicos cum eo„rum Præpoſito, Deaanoque inſtituerent, ea etiam adjecta indul„gentia, ut ſi quando eo in templo res divina feſtis Domini diebus, „glorioſæ cœlorum Reginæ, regnique Patronorum ſolemni ritu fie„ret, aut quandocunque regi adeſſe collibuiſſet, diacono & ſubdia„cono fas eſſet infulis uti, Eccleſiæ autem iſtius perſonæ omnes, „ſcilicet Præpoſitus, Decanus, Canonici, Scholaſtici, Vicarii, Capel„lani, Altariſtæ, Cuſtodes, Sacriſtiani, Æditui, Manſionarii, Curia„les, Choraliſtæ, Boninfantes, Decempani, Ceroferarii, Libroferarii,

„Campanatores, Janitores, Sandapillarii, veſpillones, omnesque mi„niſtri ejus & ſervi, Pragenſis, aut cujuscunque demum Epiſcopi „jurisdictione liberi eſſent & exempti, ſolique Romano Pontifici „ſubjecti.„

Ex quibus conjicere ſane licet, Hajecium Urbani II. Bullam adhuc præ manibus habuiſſe, cum in cæteris Pulkawam ſæc. XIV. ſcriptorem ſecutus, hæc peculiaria recenſeat. Quæ de exemptione Capituli Wiſchehradenſis a Pragenſis Epiſcopi Diœceſi in medium profert, primum a Bonifacio IX. per Wenceslaum Kralikium Præpoſitum Wiſchehradenſem fuiſſe impetrata, in ſerie Præpoſitorum ſuo loco commemorabitur.

Caput IV.

Convellitur ſententia Pulkawæ ejusque ſequacium, qui Wratislaum Ducem ac Regem Bohemiæ ad condendam Eccleſiam collegiatam Wiſchehradenſem odio & vindicta, ut Gebhardo fratri ſuo, Pragenſi Epiſcopo, ægre faceret, fuiſſe ſtimulatum & perductum aſſerunt.

Pulkawa — qui juſſu Caroli IV. Imperatoris & Bohemiæ Regis ex omnibus Chronicis, quæ haberi potuere, congeſtum ſcripſit Chronicon de Ducibus & Regibus Bohemiæ — primus omnium ad a. 1088. adfirmare auſus eſt, poſterioresque omnes ex illo id exſcripſere: Wratislaum odii & vindictæ cauſa, ut ægre faceret fratri ſuo Gebhardo ſeu Jaromiro Epiſcopo Pragenſi, Wiſchehradenſem fundaſſe atque munificentiſſime dotaſſe Eccleſiam. Verum rem manifeſte falſam a Pulkawa poſteritati hacce adſertione fuiſſe proditam vel ex eo patet, quod Cosmas hiſtoriæ Bohemiæ parens libro Chronici ſui primo capite præcedenti citato expreſſis verbis adſtruat:

ſtruat: Wratislaum *inſpiratione divina communitum* monaſterium in urbe Wiſſegrad, quæ omnium terræ illius civitatum quaſi mater & domina eſt, Deo juvante pia mente propoſuiſſe conſtruendum. — Porro præclare animadvertit Annalium Hajecianorum commentator ad a. 1070. §. I., ex verbis Pulkawæ, ſi cum Cosmæ verbis conferantur, luculenter adparere, excerpta illa eſſe ex Cosmæ anno 1090., atque perperam ad Wiſchehradenſem Eccleſiam detorta, cum ibidem Cosmas loquens de reſuſcitato denuo Epiſcopatu Olomucenſi, novoque hujus ſedis deſignato Epiſcopo Weclone, ſubjungat: „Qui (nimirum fratres Gebhardus & Wratislaus) in tan„tum virili animoſitate inter ſe aliquando diſſidebant, ut ſæpe feſtis „diebus Rex Epiſcopum non haberet, qui ſibi coronam imponeret. „Hac neceſſitate ſimul & ambitione Rex (Wratislaus) compulſus, „non ratione, ſed ſola dominatione iterum ſubinthronizat capella„num ſuum Weclonem in territorio Moravienſi Epiſcopum„ — Sane cum Wiſchehradenſis Eccleſia anno jam 1070. fundari & condi cœpta eſt, prouti oſtendit Dobnerus ad h. a., Wratislaus de coronæ impoſitione, ad quam egeret Præpoſito Wiſchehradenſi, ne ſomniavit quidem illo tempore; Pragæ ſiquidem primum a. 1086. Rex coronatus eſt, quamvis eum ante unctionem Regiam titulo Regis ſubinde fuiſſe uſum doceri queat. —

Doctiſſimus Chronographus Patriæ noſtræ Franciſcus Pubiczka Chronicorum ſuorum Parte III. ad a. 1069. arbitratur: Wratislaum provinciæ Olomucenſis id temporis Dominum & Germanorum fautorem, cum in Hungariam (veritus fratrem Spitigneum Bohemiæ Ducem, Germanos odio habentem, perſequentem & Moraviæ fratris dominio privandi ergo adpropinquantem), ſeſe reciperet, in fuga conſtitutum voto ſeſe obſtrinxiſſe, futurum, ut ſplendidam condat alicubi Baſilicam, ſi feliciter in tutum evaſerit. Quod quidem ſe ait eruere ex verbis in diplomate Alexandri II. contentis, ubi ita loquens inducitur Wratislaus: *Multa ante tem-*

po-

pora votum Deo vovi, quod adhuc nequiquam implevi. Eccleſiam in honorem Salvatoris noſtri, cujus ubique protectione munitus, veſtræ pietatis auxilio ædificare cupio. Etſi enim diploma Alexandri II. qua ſuppoſititium cum multis aliis haud ſine fundamento conſideret, rejiciatque, veroſimillimum tamen citatus ſcriptor adſtruit eſſe: reſponſorias Alexandri II. per Petrum Præpoſitum S. Georgii ad petitionem Wratislai datas a poſteriore quoquo demum artifice cum privilegio Urbani II. & memoriis quibusque diplomatis Wratislai in unum corpus compactas, & ex uno demum Cosmæ manuſcripto codice in plures translatas eſſe. Id profecto certum eſt, meminiſſe Balbinum in Epitome rerum Bohemicarum p. 204. ſeparatarum iſtiusmodi literarum Apoſtolicarum Alexandri II., & Urbani II., quas ait recitari in veteri codice Jaroslai. Ex quibus datur intelligi, fors in Urbani II. Bulla de voto condendæ alicujus Eccleſiæ a Wratislao concepto mentionem fuiſſe injectam.

Caput V.

Series Ducum & deinceps Regum Bohemiæ, qui a Wratislai munificentiſſimi Fundatoris ac Dotatoris ætate, ad Sigismundum usque Bohemiæ Regem, Eccleſiæ Wiſchehradenſi ſeſe beneficos exhibuere.

§. 1.

SOBIESLAUS I.

Inter duces Bohemiæ, qui a Wratislao II. rempublicam gubernarunt Bohemiæ, nullus tanta in Eccleſiam Collegialem Wiſchehradenſem contulit beneficia, quanta Sobieslaus filius Wratislai II. poſtremo genitus, qui ab a. 1125. usque ad a. 1140. Bohemiæ præfuit.

fuit. Narrat de eo Balbinus Epitomes libro III. c. 10. ex MS. Jaroslai Siloensis, scriptoris sæc. XII. hunc in modum: „Anno 1129. „Sobieslaus Bohemiæ Dux, orationis causa instar Regis Ninivita„rum, nudis pedibus & mutatis vestibus, Wischehradensem Eccle„siam sibi sumpsit ornandam, duo & triginta sacerdotia fundavit; „tantusque erat canentium in templo numerus, ut dividere opus „esset, eaque ratione die ac nocte Psalmi canerentur. Instaura„vit magnifice templum; domos sacerdotum omnes laterculis te„xit; ambitum Canonicorum secto lapide stravit; fornicibus altis „ad gratiam prætendit; Canonicorum stipendia adauxit, & denique „patris sui Wratislai Regis memoriæ super tumulum coronam ele„gantissimam octoginta talenta argenti & duodecim talenta auri „continentem appendit.„

§. 2.

SOBIESLAUS II.

Patre Sobieslao I. non minus munificum erga Ecclesiam Wischehradensem ejusque ministros sese exhibuit filius ejus Sobieslaus II., a quo circuitum S. Martini sub Wischehrado Ecclesiæ Collegiatæ fuisse ea de causa donatum coæva monumenta tradunt, quod Canonicorum reditus tantopere sub ejus regimine imminui contigerit, ut qui tempore Sobieslai I. mille septingentos quotannis denarios acceperant, vix centum singuli percipierent. Eapropter addidit porro Sobieslaus II. quatuor millia denariorum quotannis inter Ecclesiæ ministros distribuenda, vineas quasdam & agros in Modrzan, montem Psar, partem fluminis Sazawæ, & in Zitenica viri medietatem; uti luculenter patet ex diplomate ab Hammerschmidio rerum Wischehradensium celebri scriptore recitato, quod ita incipit:

In

In Nomine Domini Æterni.

Ego Sobieslaus Bohemiæ Dux, Dei fidelis cultor, & juſtitiæ verus amator.

Notum facio præſentibus & futuris, quod Eccleſiam Wiſchehradenſem honorare ſpecialiter & defendere libenter volo, propter honorem Dei, ſuæ ſanctæ Matris Mariæ & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, ut eos in noviſſimo die clementes habeam cum Prædeceſſoribus meis, & Patre meo, qui in eadem Eccleſia requieſcit. Quod & ego ſpero. Ad honorem itaque Dei, & ejusdem Eccleſiæ, & ad meliorandam præbendam fratrum, do circuitum in ſuburbio Pragenſi, qui matris meæ fuerat, quia tantum a tempore Patris mei eis fuit imminuta præbenda, ut unusquisque centum denarios, raro plures, ſæpe vero pauciores, accipiat, qui tempore Patris mei mille & ſeptingentos accipiebant. --- Anno Dominicæ Incarnationis 1178. Indictione XI. Datum per manus Domini Gervaſii Cancellarii & Præpoſiti ejusdem Eccleſiæ Wiſchehradenſis.

§. 3.

FRIDERICUS.

Tertius, qui inter Patronos Eccleſiæ collegiatæ Wiſchehradenſis locum haud poſtremum meretur, Dux Fridericus eſt, Wladislai II. filius a. 1181. ad Ducatum Bohemiæ evectus. --- Ducem hunc ob venditum pagum Swrczovice ad Eccleſiam Wiſchehradenſem pertinentem in ſomniis a S. Petro fuiſſe flagellatum, non pauci hiſtoriæ patriæ ſcriptores commemorant. Hammerſchmidius noſter diploma ab a. 1187. recitat, vigore cujus donationes Eccleſiæ Wiſchehradenſi a deceſſoribus Friderici factæ confirmantur, novæ recenſentur, Duxque ipſe Fridericus ſeſe in ſomno a S. Petro fuiſſe flagellatum hisce verbis confitetur: „Ego Fridericus gratias ago „Tibi Beatiſſime Petre, qui vigilantius ut intenderem, ad hujus me

„ho-

„honorem Eccleſiæ per ſoporem viſitando ſenſibiliter etiam com-
„monere dignatus es.„

Hujus flagellationis facit mentionem & *Przemislaus Rex Bohemorum III.*, *Friderici Ducis frater*, cujus in diplomate in favorem Eccleſiæ Wiſchehradenſis conceſſo ita legitur: „Ego Prze-
„misl Bohemorum III. Rex &c. huic etiam donationi fratris mei
„per apparitionem B. Petri, & flagellationem in dorſo ſuo revelatæ
„novam addo &c.„ Non minus Papa Cœleſtinus III. in bulla ab anno 1197. ab Hammerſchmidio relata, confirmans diploma Friderici Ducis, vi cujus Eccleſia Wiſchehradenſis a diverſis oneribus liberatur, totum diploma recitat, in quo ſeſe fuiſſe flagellatum Dux Fridericus confitetur. —

Hæcce flagellationis hiſtoria non multum abſimilis illi, quam de SS. Hieronymo & Bennone alii commemorant, præteriri fortaſſe hacce in opella potuiſſet, niſi ejus memoria penes Capitulum Wiſchehradenſe in ſigillo minori, quod Fridericum Ducem a S. Petro flagellis cæſum repræſentat, ad hunc usque diem ſervaretur. —

Franciſcus Pubiczka Chronologicæ hiſtoriæ patriæ noſtræ ſcriptor ſolertiſſimus hancce hiſtoriolam pertractans, ait: Cum nulla ſuppetant argumenta, quibus evinci poſſet, diplomata, in quibus flagellationis memoratæ fit mentio, ceu minus ſincera eſſe ſuſpicienda; dubitare haud licet, quin Fridericus Dux flagellatus reapſe fuerit. Mihi ſuppoſita diplomatum citatorum genuitate id certum eſt, dubitare haud licere, quin Fridericus Dux ſeſe a S. Petro flagellis fuiſſe cæſum crediderit, hancque perſuaſionem habens non ſolummodo pagum abalienatum Eccleſiæ Wiſchehradenſi reſtituerit, ſed prout ipſe in diplomate citato loquitur, *ſenſibiliter ad honorandam Eccleſiam Wiſchehradenſem commonitus, ad eandem, quam & Apoſtolica ſedes ſuis honoravit privilegiis, amplius exaltandam intenderit.*

§. 4.

PRZEMISLAUS OTTOGARUS.

Alius porro ſingularis Patronus Eccleſiæ Wiſchehradenſis exeunte ſæculo XII. fuit *Przemislaus Ottogarus*, Rex Bohemiæ III. a quo ſummo Eccleſiæ Wiſchehradenſis amatore non ſolum confirmata fuit fundatio Wratislai II. aliorumque anteceſſorum in favorem Eccleſiæ memoratæ confecta diplomata, verum & copioſæ donationes eidem acceſſere. Legere has licet in Hammerſchmidii Gloria & Majeſtate Eccleſiæ Wiſchehradenſis.

§. 5.

WENCESLAUS I.

Patrem Ottogarum benefaciendo Eccleſiæ Wiſchehradenſi imitatus eſt filius Wenceslaus I. Bohemorum Rex IV. ad thronum evectus a. 1228., ſub cujus regimine, teſte Auctore appendicis ad Chronicon Jaroslai, Eccleſia Wiſchehradenſis ſubitaneo incendio univerſa concidit. Hic optimus Princeps non modo confirmavit & renovavit privilegia deceſſorum ſuorum Wratislai & Sobieslai, ſed donavit præterea capellam S. Laurentii, & villam Hodkowitz. Suo in diplomate de a. 1251. Eccleſiam Wiſchehradenſem manifeſte compellat *ſanctam, quæ ad Sanctiſſimum Patrem noſtrum Romanum Pontificem nullo medio noſcitur pertinere.*

§. 6.

PRZEMISLAUS OTTOGARUS II.

Przemislaus Ottogarus II. Bohemiæ Rex V. liberaliſſimus in Eccleſiam Wiſchehradenſem, Capitulo ejusdem donavit Capellam in Zlichow; vocat in diplomatibus a ſe in favorem Eccleſiæ Wiſche-

ſchehradenſis vulgatis Eccleſiam prædictam: *Curiæ ſuæ ſpecialis cancellariam, item Capellam Regiæ Magnificentiæ ſpecialem, cui etiam cancellariæ Regiæ officium a longe vetro actis Prædeceſſorum temporibus ſit annexum;* confirmavit privilegia a Wratislao I. Rege Bohemiæ & Sobieslao ejus filio Eccleſiæ Wiſchehradenſi collata. Diplomate porro quinto a. 1251. dato, & ab Hammerſchmidio recitato ait:

„Nos ergo licet ſimus omnibus juſtitiæ debitores, terminos tamen, quos Patres noſtri provide poſuerunt, transgredi multo fortius formidantes, ſpecialiter ad Eccleſiam Wiſchehradenſem honorabilem & inſignem, aciem Noſtræ conſiderationis dirigimus, qualiter ipſius privilegia ſervemus; & maxime illa egregia monumenta, quibus donata eſt a Wratislao I. Rege Bohemiæ & Sobieslao ejus nato, fundatorum ipſius Eccleſiæ, in qua iidem corporaliter requieſcunt, & maxima cum diligentia renovationem & confirmationem Wenceslai IV. Bohemiæ Regis, Magnifici Patris noſtri, eorundem privilegiorum in Noſtris præcordiis foveamus.„

§. 7.

JOANNES I.

Joannes I. Rex Bohemiæ VIII., conjux Eliſabetha poſt Wenceslaum II. Bohemiæ Regem ſuperſtitis filiæ, per id ſeſe munificum Capitulo Wiſchehradenſi exhibuit, quod reſidentias ampliandi Prælatis & Canonicis Eccleſiæ Wiſchehradenſis copiam fecerit, ſuam curiam Regiam Decano, & ſeptuaginta laneos agrorum prope Plsnam Præpoſito donaverit; uti id patet ex diplomate Pragæ dato V. Calendas Januarii A. D. 1311.

§. 8.

CAROLUS IV.

Carolus IV. Patriæ Pater, aut, ut cum Balbino loquar, potius Mater, utpote qui Bohemiam tenerrimo matrum adfectu eſt complexus & proſecutus, non ſolum omnia privilegia Eccleſiæ Wiſchehradenſis confirmavit, verum etiam ſuam peculiarem erga Eccleſiam Wiſchehradenſem propenſionem per id commonſtravit, quod ſuos Regios Commiſſarios ad excipiendum juramentum fidelitatis a Præpoſito Wiſchehradenſi ablegando, Ejusdem qua Principis inſtallandi ritum manu propria conſignarit, uti patet ex fragmento Epiſtolæ Caroli IV., quod exhibet Hammerſchmidius p. 273. hoc tenore:

Carolus Imperator, &c.

„Nobilibus de Lippa Regni Bohemiæ a Summo Camerario, & „de Cunſtad, fidelibus Noſtris dilectis, gratiam &c. Quia pridem „Venerabili Wiſchehradenſi Præpoſito, Regni Bohemiæ Cancella„rio, Principi, familiari, &c. Præpoſituram Wiſchehradenſem tan„quam Bohemiæ Rex, & Auctoritate Regia Bohemiæ rite contu„limus, ac ipſum more ſolito, & juxta Regni Bohemiæ approba„tam conſuetudinem, recepto prius ab ipſo homagio fidelitatis, & „ſubjectionis debito juramento, cum ſceptro Noſtro Regali inveſti„vimus, de eadem autem neceſſitate obſervatæ dudum laudabilis, „& approbatæ conſuetudinis Regni Noſtri Bohemiæ prædicti, re„quiratur omnino, quod dicto Præpoſito ratione Principatus ſui „ſceptrum Regni in Eccleſia Wiſchehradenſi donetur, ſive per „manus Regias, vel alterius, cui hoc Regia Serenitas duxerit com„mittendum: Idcirco cum aliis arduis tam ſacri Imperii, quam Re„gni Bohemiæ negotiis impediti, non poſſimus talibus cæremoniis „intereſſe, de Veſtræ circumſpectionis induſtria plenam habentes „fi-

„fiduciam, fidelitati Veſtræ committimus, & ſerioſe mandamus &
„Vobis ambobus in ſolidum, ita quod non ſit melior conditio occu-
„pantis, ſeu alteri Veſtrum, ſi alium quavis cauſa abeſſe contigerit,
„Auctoritate Regia Bohemiæ in hac parte plenarie delegamus, qua-
„tenus in præſentia Capituli Wiſchehradenſis in Eccleſia ipſa, in
„loco conſueto, dicto Præpoſito ſceptrum Regni, Auctoritate Re-
„gia Bohemiæ præfata aſſignare & tradere debeatis, facientes de
„aſſignatione ſceptri hujusmodi fieri publicum inſtrumentum: ſic
„quod eidem inſtrumento de verbo ad verbum præfatæ Noſtræ
„commiſſionis ſeries inſeratur.

§ 9.

WENCESLAUS IV.

Etiam Wenceslaus IV. pientiſſimi & clementiſſimi Caroli IV. filius, quamvis a multis gravis erga Clerum odii fuerit accuſatus accuſeturque, valde benignum ſeſe Eccleſiæ Wiſchehradenſi præbuit, cum vigore decreti de a. 1386. Nonis Auguſti ab Hammerſchmidio recitati; omnia Privilegia Eccleſiæ Wiſchehradenſis confirmavit.

Caput VI.

Series Regum Bohemiæ Eccleſiæ Wiſchehradenſis Benefactorum, a Sigismundi ſiniſtro regimine usque ad Franciſcum II, ammodo glorioſiſſime regnantem.

§. 1.

SIGISMUNDUS.

Annus erat 1420, cum die 11. Junii Sigismundus Caroli IV. filius, Wenceslai IV. frater, a Conrado Archiepiſcopo Pragenſi in ar-

arce S. Viti Bohemiæ Rex coronaretur. Idem vero annus Wiſchehradæ exitialis erat. Die nimirum prima Novembris anni memorati prælio ad Wiſchehradum commiſſo Rex Sigismundus a Pragenſibus cæſus eſt. Deditum fuit eodem die Huſſitis Wiſchehradum; alterum vero diem Pragenſe vulgus in demoliendis Wiſchehradenſibus templis conſumpſit, & quatuordecim eorundem (inter quæ Baſilica SS. Apoſtolorum Petri & Pauli ad Vaticanæ ſimilitudinem efformata primas tenuit) diruta ſunt, rapto omni ſacrorum adparatu, imaginibus omnibus & organis dejectis, arce Regia funditus everſa. --- Canonici partim expulſi, partim martyrio fuere affecti: opipara Eccleſiæ & Capituli latifundia ferme omnia Huſſitis ceſſere. --- In hunc triſtiſſimum ſane ſtatum videns redactam Wiſchehradenſem Eccleſiam Capitulumque, Rex Sigismundus, ut aliqua ſaltem ratione iisdem ſuccureret, diplomate ſolenni Norimbergæ dato ad a. 1422., omnem abalienationem bonorum Eccleſiaſticorum, igitur & Wiſchehradenſium reprobavit; atque hac ſaltem ratione ſeſe beneficum Wiſchehrado duris illis temporibus exhibuit.

§. 2.

GEORGIUS PODIEBRADIUS.

Numerandus etiam inter Benefactores Eccleſiæ Wiſchehradenſis venit Rex Georgius Podiebradius, qui Ladislao Rege Sigismundo ſucceſſore a. 1457. e vivis ſublato, perſuadente Joanne Rokiczana, parocho Utraquiſtarum zeloſo & pertinaci, a. 1458. die 7. Maji Teynenſi in Eccleſia Rex Bohemiæ electus, & præſtito prius Pontifici juramento, ab Epiſcopis Hungariæ coronatus eſt. Conceſſit quippe --- ut adſtruit Hammerſchmidius --- plenam poteſtatem redimendi bona Eccleſiaſtica Wiſchehradenſia.

§. 3.

§. 3.

WLADISLAUS.

Succeſſit Georgio Wladislaus Caſimiri Regis Poloniæ filius natu major, quindecim annorum adoleſcens, tum quod bohemice loqueretur, tum quod materna ſtirpe a Carolo IV. deſcenderet, tum etiam, quod Caſimirus promitteret, exſolutum iri a ſe contracta nomina Regni. Electus & coronatus a. 1471, annis 45. Regnum Bohemiæ gubernavit. Inter præcipuos Eccleſiæ Wiſchehradenſis Benefactores compluribus titulis memorari meruit. Anno nimirum 1493. confirmavit omnia Privilegia Eccleſiæ Wiſchehradenſis; liberavit Prælatos & eorum ſubditos ab exactionibus; reddidit Capitulo vineam ſub muro & inſulam ſub monte. Anno 1505 reſtituit Wiſchehradum Decano & Capitulo, absque ulla mentione Præpoſiti. Anno 1511. præſentavit nominatum a ſe Præpoſitum Decano & Capitulo Wiſchehradenſi introducendum & inſtallandum. Anno demum 1514. liberavit Decanum a præſtandis gabellis ex vinea *Diekanka*, vetuitque foſſionem arenæ in damnum fundi Eccleſiæ. Diplomata huc ſpectantia legesis apud Hammerſchmidium in Gloria & Majeſtate Eccleſiæ Wiſchehradenſis.

§. 4.

FERDINANDUS I.

Ferdinandus I., qui Wladislai Ungariæ & Bohemiæ Regis filiam a. 1503. natam, & deinde quindecim prolium genitricem in matrimonio habuit, Rex Bohemiæ & Hungariæ a. 1527. electus & coronatus eſt. Is non modo Baſilicam S. Viti in caſtro Pragenſi poſt incendium ſuis ſumptibus reparari curavit, Patres Societatis Jeſu Pragam vocatos a. 1555. in monaſterio S. Clementis Palæopragæ collocavit, ſeminarium Clericorum, quod Convictum vocabant, erexit, Archiepiſcopum Pragenſem poſt annos 131. Bohe-

miæ

miæ reſtituit; verum etiam ſingularia beneficia Eccleſiæ Wiſchehradenſi præſtitit. Per illum quippe confirmata ſunt omnia privilegia Eccleſiæ Wiſchehradenſis, data eſt facultas redimendi bona ejusdem Eccleſiæ, factaque prohibitio eadem abalienandi; conceſſa porro Præpoſito Petro Bechinie copia recuperandi villam Hoſtin, poſt mortem ejus ad Eccleſiam collegiatam reverſuram.

§. 5.

FERDINANDUS II.

Pientiſſimus Rex Ferdinandus II. haud minora Eccleſiæ Wiſchehradenſi præſtitit beneficia, imo ſuperaſſe munificentiam Ferdinandi I. vel ex eo cenſendus eſt, quod non minus Præpoſito, quam Decano & Capitulo Wiſchehradenſi reſtitutionem Bonorum fecerit, quibus gaudent ad noſtros usque dies. Anno ſiquidem 1620. Eccleſiæ collegiatæ Wiſchehradenſi ejusque Capitulo reſtituta fuit urbs Wiſchehrad, quam Huſſitæ vendiderant; porro pagi Wietruſchicz & Lhotka in circulo Kurimenſi, pars pagi Koſorz in circulo Rakonicenſi, & pagus Parvo-Wſchelis in circulo Boleslavienſi. Idem pientiſſimus Imperator & Rex Bohemiæ nominato a ſe Præpoſito Wiſchehradenſi Joanni Chryſoſtomo Kiliano bonum Zitenicz, quod vi primævæ fundationis ad totum corpus capitulare pertinebat, contulit; uti hac de re in ſerie Præpoſitorum Wiſchehradenſium complura memorabuntur.

§. 6.

MARIA THERESIA.

Auguſtiſſima Imperator & Rex Noſtra Maria Thereſia, feliciſſime regnantis Franciſci II. Regis Noſtri Avia beatiſſimæ memoriæ, uti clerum univerſum pientiſſimo adfectu ſemper proſecuta eſt, ita & Capitulo Wiſchehradenſi ſex millia florenorum clementiſſime impertiendo ſuam erga illud benevolentiam commonſtravit.

§. 7.

§. 7.
FRANCISCUS II.

Ab Auguſtiſſimo Imperatore & Rege Noſtro clementiſſimo Franciſco II. ad a. 1794. vigore decreti aulici d. d. 6. Septembris Capitulo Wiſchehradenſi ad ejus preces hæcce benigniſſima reſolutio per Inclytum Regni Bohemiæ Gubernium, Miſſiva d. d. 23. Septembris a. citati ſubmiſſa fuit: Suam ſacram Cæſareo-Regiam Majeſtatem indulgere, ut Capitulum Wiſchehradenſe inpoſterum ex duobus Prælatis, Præpoſito & Decano, porro ex ſex Canonicis reſidentibus & præbendatis conſtet, qui voce activa & paſſiva gaudeant; præter hos poſſe & ſex Canonicos honoris ex Beneficiatis Bohemicis votorum viva voce collatione nominari, qui a Sua Cæſ. Regia Majeſtate confirmationem conſecuti, honorem & ſtallum in Eccleſia poſt Canonicos reſidentes, ſi quando feſtis diebus comparuerint, occupandum habeant, cætera vero nec Canonici capitulares cenſeantur, nec vocem activam vel paſſivam poſſideant.

Caput VII.

Series Decanorum Capitularium Eccleſiæ Wiſchehradenſis, qui a tempore excidii Eccleſiæ Wiſchehradenſis ad noſtros usque dies ſeſe bene meritos de Eccleſia & Capitulo Wiſchehradenſi reddidere.

§. 1.
JACOBUS DE PRAGA.

In ſerie Decanorum, qui de Eccleſia Wiſchehradenſi & Capitulo ejusdem ab Huſſiticis inde turbis præclare meruere, primus locus vindicandus eſt Jacobo de Praga, qui a. 1399. Wiſchehradenſis

Decanus electus, triginta & ultra annis Capituli ſui negotia magna cum induſtria promovit. Huſſitica hæreſi fermentum armorum concipiente pretioſiora Eccleſia cimelia, velut fundationum & privilegiorum originales, aureum & argenteum Eccleſiæ ornatum ac ſupellectilem cum ea Archivi parte, quæ majora Eccleſiæ & Capituli negotia complectebatur, in Regno & extra recondidit, præ cæteris ad Capitulum Strigonienſe in Ungaria, Melicenſe in Auſtria, & in ſacriſtia Eccleſiæ Crumlovienſis.

§. 2.

JOANNES MEDEK AB ALTENDORFF.

Electus Decanus a. 1592. reſtauravit chorum Eccleſiæ, in quo eſt ſummum altare, curavitque ſupra ſtalla Canonicorum ad cornu Evangelii hæc verba in muro exarari:

„Sereniſſimus Princeps ac Dux Wratislaus I. Rex Bohemiæ, „per Henricum IV. R. J. a. 1086. in Moguntia propria manu co„ronatus & ejus juſſu ab Archiepiſcopo Trevirenſium in Pragenſi „Eccleſia unctus in Regem Bohemiæ & Poloniæ fundavit ſacroſan„ctam Eccleſiam Wiſchehradenſem SS. Apoſtolorum Petri & Pauli „ab omni ordinariorum jurisdictione exemptam &c.„ Hujus Decani inſignia viſuntur in latere fornicis Eccleſiæ.

§. 3.

MATERNUS KNISEN A KOBACH.

Præclarus hicce Decanus in libro Protocolli, qui in Wiſchehradenſi Archivo aſſervatur, hæc de ſe manu propria exarata reliquit.

Anno 1607.

„Ego Maternus Kniſen a Kobach Sileſius Philoſophiæ & Theo„logiæ Doctor, Cathedralis, & ſanctæ Crucis collegiatæ Eccleſiæ „Wra-

„Wratislavienſis Canonicus Capitularis, & Rudolphi II. Cæſaris „Sacellanus, electus ſum canonice præter omnem cogitationem, „dum eſſem cum Aula ob peſtem Pragenſem Litomericii, in De„canum Wiſchehradenſem, a Domino Præpoſito Wiſchehradenſi „Innocentio Moniga, & Domino Paulo Piſtorio Canonico Wiſche„hradenſi, & Decano Karlſteinenſi, præſentibus Abbate Carlshof„fienſi & Præpoſito Zderazenſi, uti teſtibus, & Notario Apoſtolico „& Cæſareo Adamo Clatersky. Et cum recuſarem ſuſcipere eun„dem Decanatum, Auctoritas D. Nuntii Apoſtolici, Epiſcopi Ver„cellenſis ad pium obſequium me tandem commovit. Deo igitur „ſic volente per Dominum Nuntium Apoſtolicum electioni meæ „in Decanum Wiſchehradenſem conſenſi, Wratislavienſium cano„nicatuum reſignationem facere volens, ſed ipſe me eos retinere „pie voluit obſequentem. Poſſeſſionem Canonicatus Wiſchehra„denſis rite accepi 22. Februarii, nempe in Cathedra S. Petri „Antiocheni per Dominum Paulum Piſtorium Canonicum Wiſche„hradenſem, Decanum Carlſteinenſem: Decanatus vero poſſeſſio„nem ipſe Præpoſitus Wiſchehradenſis, præſente Canonico Piſto„rio, mihi die ſequenti, nempe in vigilia S. Mathiæ ſolemniter „dedit, præſentibus Wiſchehradenſibus, qui ſtipulata manu mihi „Decano promiſerunt obedientiam.„

Ad hunc usque Decanum per annos ferme ducentos continuos, quot nimirum a vaſtato Wiſchehrado ad a. 1420. effluxerant, per Canonicos Metropolitanos Pragenſes adminiſtrabatur Decanatus Wiſchehradenſis, qui alibi reſidentes diebus Domini & feſtis ſacerdotem Wiſchehradum dirigebant, ut eorum loco divina ibi perſolveret in capella S. Joannis inter rudera. Hoc deplorabili Eccleſiæ & Capituli Wiſchehradenſis ſtatu commotus D. Joannes Stephanus Fererius Epiſcopus Vercellenſis Nuncius Apoſtolicus apud Rudolphum II. laudabiliter effecit, ut inpoſterum Domini Canonici Metropolitani vices Decanorum Wiſchehradenſium haud agerent, ſed

novus Decanus eligeretur, qui aſſidue ad Eccleſiam Wiſchehradenſem reſideret, atque Eccleſiæ deſolatæ curam vigilantem adhiberet. Hæc ſors igitur a. 1607. 7. Februarii feliciter cecidit ſuper Maternum Gniſen a Kobach, cujus narrationem de inexpectata illius ad Decanatum Wiſchehradenſem electione propria ejus manu deſcriptam initio hujus §. dedimus. — Hic primus fuit, qui juxta SS. Canones ad Eccleſiam Wiſchehradenſem in perſona reſedit, Eccleſiam in ruderibus jacentem reſtauravit & primum Canonicum curatum *Laurentium Struggium* auctoritate Regia & Pontificia inſtauravit. Motus enim ea conſideratione, quod poſt excidium relicta bona non omnia ſint ſolius Decani, ſed partim Eccleſiæ, partim Capitulo pertinentia, eadem retinere omnia religioni ſibi duxit. Eam ob cauſam vineam Canonico & Prælato cuſtodi a prima fundatione ſpectantem vendidit tribus millibus ſexagenarum, hancque pecuniam ſub cenſum perpetuum ad communitatem Pontenſem auctoritate Regia elocavit, quem ad hunc usque diem Canonicus Curatus percipit. Mente revolvens porro zeloſus hic Decanus abominationem deſolationis Eccleſiæ Wiſchehradenſis, omni Canonicorum & miniſtrorum ſervitio deſtitutæ, ut aliqua ſaltem ſpecies & forma collegialis Eccleſiæ in hoc deplorabili neceſſitatis ſtatu exurgeret, die 29. Januarii a. 1608. quosdam ſacerdotes, quibus titulum *Canonicorum* attribuit, cum Domino Præpoſito Innocentio Moniga nominavit, & elegit, videlicet *Paulum Piſtorium a Luczka* SS. Theologiæ Doctorem, Capellæ Regiæ in Karlſtein Decanum, *Caſparum Arſenium a Radbuza* Scholaſticum Pragenſem, *Simonem Broſium Horſteinium ab Horſtein* Decanum Pragenſem, Capellæ Regiæ omnium Sanctorum in Caſtro Pragenſi Canonicum, *Joannem Sixtum a Lerchenfelz* Protonotarium Apoſtolicum, Canonicum Metropolitanum, *Danielem Ungarum de Genczicz* Comitem Palatinum Protonotarium Apoſtolicum, Decanum Smecznenſem; quos dein inſtallavit, recepto ab eis prius juramento ab Apoſtolicæ Se-

dis

dis Nuntio Antonio Cajetano confirmato, quo promiserunt, se nil ab Ecclesia egena velle exigere, nec Canonicos residentes dici aut intelligi. --- Idem porro Decanus Ecclesiam Wischehradensem valde pauperem, ruinosam ac sordidam, inter Zisskianas ruinas misere gemiscentem cum invenisset, sequenti statim mense ab accepta possessione cœpit eam instaurare, sacristiam expurgare, novis fenestris & picturis ornare, murum chori ab imo usque ad summum nova structura educere. --- Multa etiam a Patronis pro Ecclesiæ fabrica obtinuit.

His vero præclare gestis, a subditis Wischehradensibus multum exagitatus Decanatui resignavit anno 1610. Ei vero successit per viam electionis a Capitulo celebratæ die 20. Aprilis ejusdem anni.

§. 4.

PETRUS LINTEO LITOMERZICZKI A [illegible]

Erat ante Parochus [illegible] ribundæ Hussiticæ [illegible] pore Bachanaliorum a. 1611. [illegible] cro-Pragam ingressi fuissent, ad [illegible] tica Pragensis, [illegible] templa, [illegible] sanguine polluit. [illegible] dentis Petrus Linteo Litomerzicki [illegible] manus [illegible] Capituli [illegible]

tione ſubſcripſit: „Ego Petrus Linteo a Pilſenburg, Eccleſiæ Wi-„ſchehradenſis Decanus, ſubſcripſi coram Deo, & Angelis ejus pro-„teſtans, aliter eidem Eccleſiæ nutanti, quam his conſtitutionibus „provideri haud poſſe, nec ſperandum unquam in ea inſtauranda ali-„quem profectum, niſi prius fundamenta hæc jaciantur. Alioquin „ſimpliciter, & abſolute in oculis divinæ Majeſtatis cenſeo, merce-„narios illos, ſeu potius malos vineæ cultores, qui centum & am-„plius annis Eccleſiam hanc inſtar alicujus cloacæ (in quam ſordes, „quibus ipſi exonerari percuperent, ejectarent), cujus titulos & re-„ditus pro libidine, & non pro fovendo cultu divino, ſubditorum-„que ædificatione, plenis titulis haurirent, per vices obtinuerunt, „ſi non male perdendos, ſaltem perquam longiſſime ab eadem „Eccleſia arcendos & propellendos. Vineam autem tradendam „aliis.„ Petrus Decanus m. p.

Obiit a. 1515.

§. 5.

PAULUS PISTORIUS A LUCZKA.

Ex Decano Carlſteinenſi Decanus Wiſchehradenſis electus eſt a. 1618. Tempore ſeditionis tunc temporis exortæ plurima perpeſſus mala a ſtatibus Utraquiſticis, Privilegia Eccleſiæ & Capituli adverſus plebis hæreticæ turbas Wiſchehradi non ſatis ſecura in ſaccis frumentariis deferri curavit ad monaſterium monialium S. Annæ Palæo-Pragam, ubi locata fuere ſub tecto ejusdem monaſterii. Aſt cum miſſi a Gubernio Utraquiſtico Commiſſarii, qui depoſita in monaſteriis perquirerent, ſub tectum aſcenderent, privilegia hæc in ſaccis e tecto ad aream, ut notitiam eorum effugerent, per ancillas monaſterii dejecta ſunt; hocque caſu contigit, ut plurima ſigilla cerea confringerentur. Obiit Paulus Decanus a. 1630.

§. 6.

§. 6.

WENCESLAUS PLOCZAR DE RUZOWA.

Paulo Pistorio successit per electionem 22. Februarii a. 1630. celebratam Wenceslaus Ploczar de Ruzowa, patria Novodomensis, ex Archidiacono Kuttenbergensi factus Decanus Wischehradensis. Præclarus hicce vir de suis reditibus remisit non parum, ut per residentem Canonicum sacra promoverentur. A. 1652. pro duobus in Collegio Clericorum (Convictum vocabant) alendis Sacerdotibus liberales perpetuosque proventus assignavit, eo fine, ut intra hebdomadem, quoties in scholis vacaretur, in Ecclesia Wischehradensi sacris mysteriis operarentur; in majoribus porro solemnitatibus fundatori ejusque successoribus ad aram sacrificantibus adstarent, certisque supplicationibus quotannis celebrari solitis adesse, easdemque comitari tenerentur. — Post obitum hujus Decani reliquæ ejus fortunæ omnes Ecclesiæ Wischehradensi obvenerunt. Obiit 1657.

§. 7.

MARTINUS WESSELANSKY AB HORSSTIR.

Wenceslaum de Ruzowa excepit in Decanatus possessione Martinus Wesselansky ab Horsstir, pro cujus electione optime meritus decessor suos apud Capitulum preces interposuerat. Ab hoc Decano ædificatum fuit praxatorium, officina latericia & fornax calcis. Obiit a. 1666.

§. 8.

JOANNES KLIMESCH.

Ex Curato Teynensi Vetero-Pragæ electus Decanus, annis viginti quinque Ecclesiæ Wischehradensi præfuit. Ab illo novum campanile fuisse exstructum, Hamerschmidius memorat. Obiit 1691.

§. 9.

§. 9.

JOANNES BENOL.

Ex Canonico Wiſchehradenſi reſidente ejusdem Eccleſiæ, cui Canonicus annis 24. fideliſſime ſervierat, a. 1691. Decanus factus, exornavit Eccleſiam grandibus eleganti penicillo pictis Sanctorum Patronorum iconibus, novis Canonicorum ſtallis & ſedibus, aliaque pretioſa ſupellectile. Moriens a. 1706. Eccleſiam Wiſchehradenſem ex aſſe hæredem dixit, cujus beneficio gratiſſime memorando pars Eccleſiæ exſtructa fuit. ---

§. 10.

JOANNES WENCESLAUS DITRICH A LILIENTHAL.

Digniſſimus Decanorum Wiſchehradenſium Capitulique noſtri Pater amantiſſimus, cujus memoria in ſempiterna benedictione ſit, Joannes Wenceslaus Ditrichius inpræſentiarum commemorandus venit. --- Hunc de Eccleſia & Capitulo noſtro meritiſſimum Prælatum ad a. 1714. qua Parochum ad S. Stephanum Majorem Neo-Pragæ de animarum cura meritiſſimum electum fuiſſe Canonicum capitularem non præbendatum, anno vero poſt quinto, nimirum 1719. Decanum capitularem Wiſchehradenſem, Protocollum Capitulare docet. --- Hic ille eſt, qui Eccleſiam Wiſchehradenſem, ſæculorum vetuſtate detritam, Ziſkiano excidio in buſtum projectam, munifica poſterorum memoriis celebranda manu, ita novo decori & pulchritudini reſtituit, ut multorum judicio veteris magnificentiæ viciniam adipiſci videatur. Nec enim Presbyterium modo ſeu Chorum, in quo Canonicorum ſtalla continentur, verum & totam Eccleſiæ navim fornice ſuper veteribus, ad illius usque tempora abſconditis pilaſtris, adfixo, adeo decore ſublimavit, ut intrantibus hæc mutata Eccleſiæ facies & admirationem, & voluptatem cauſet. --- Idem meritiſſimus Decanus a. 1743. duos ex propria ſubſtantia Ca-

no-

nonicos residentes fundavit, utque hi ministri Ecclesiæ tenuib. provisi reditibus novum subsidium adquirerent, partem boni Koſorz proprio ære comparatam ultimo voluntatis elogio iisdem transcripsit. Ejusdem non minus conatu & ferventissimis precibus factum, ut Sedes Pontificia pro duobus Canonicis residentibus fundandis viginti millia florenorum ex cassa Ecclesiastica Salis Regni Bohemiæ jam a. 1738. assignaret, sicque procuratum est, ut a. 48. supra millesimum septingentesimum mense Octobri --- Ditrichio de Lilienthal jam fatis functo --- quatuor novi residentiales introducerentur Canonici, illi Pontificio cæsareorum, hi Lilienthaliorum nomine compellati. --- Duplex Ditrichio a Lilienthal epigraphe facta est. Altera in pariete Chori: „*Hoc Presbyterium seu Chorus restauratus & reformatus est elevando, sub Decano Joanne Wenceslao Ditrich a Lilienthal a.* 1728. Altera in pariete navis Ecclesiæ hisce versibus:

„Fecerat hic tantum, quantum vix fecerat alter.
„Postfundatoris nomen habere potest.„

Caput VIII.

Rerum patriarum, præsettim Wischehradensium scriptores Canonici Wischehradenses.

Hos inter præsertim commemorandi sunt Joannes Florianus Hammerschmidius, & Joannes Thomas Berghauerus.

§. 1.

JOANNES FLORIANUS HAMMERSCHMIDIUS.

Joannes Florianus Hammerschmidius die 16. Novemb. a. 1698. installatus Canonicus Wischehradensis patriam habuit Stodam, haud adeo clarum provinciæ Plsnensis oppidulum, ubi a. 1652. die IV.

Maji editus in lucem fuit. Klattoviæ insigni cum laude humaniorum disciplinarum studio absoluto, Pragam concessit, ac Philosophiæ operam dedit, & quidem tanta industriæ commendatione, ut facto profectus ipsius periculo, inter Alumnos Ecclesiasticos Archiepiscopales reciperetur. Scientiis Theologicis apprime eruditus, annos natus viginti quinque sacerdotio initiatus est. Mox ad exercendam animarum curam Budvicium evocatus, Capellani bohemici partes triennio egit: quo expleto Steinkirchiensem haud procul Budvicio dislitam Parochiam obtinuit. Annis quindecim cum gregem sibi traditum summa cum vigilantia & caritate, nullo muneris adjutore, pavisset, vacuasque a sacro ministerio horas studio litterarum, præsertim historiæ patriæ exegisset; cognita viri dexteritate ac doctrina, primum Klattoviæ ecclesiasticorum Archiepiscopalium ibi degentium superior; anno mox subsequo 1706. Seminarii Archiepiscopalium Alumnorum Pragæ Rector constitutus est. Auctus præterea gradatim fuit Theologiæ Doctoris, Protonotarii apostolici, auratæ militiæ Equitis, Comitis palatini, Canonici Wischehradensis & Boleslaviensis dignitatibus. --- Tandem primariæ Pragæ Veteris Teynensi Basilicæ a. 1710. Curio sacer præfectus, munus hoc ad extremam usque senectutem communi omnium adprobatione explevit. Anno superioris sæculi vigesimo septimo, ætatis vero 82., retento in summa senectute sensuum vigore alacritateque, placide obdormivit. Singularem casum, præclarum animi dolis atque animi ejus specimen exhibentem, narrat de Hammerschmidio in effigiebus Virorum Eruditorum Adauctus Voigt. Parte II.

Opera ab eo in lucem edita:

Magnalia S. Andreæ. S. Joannis Baptistæ. S. Joannis Evangelistæ. S. Mathiæ.

Hystorye Klattowska w sedm djlu rozdielena.

Gloria & Majestas Regiæ & exemptæ Wischehradensis Ecclesiæ SS. Apostolorum Petri & Pauli.

Hiſtoria monaſteriorum S. Georgii in caſtro Pragenſi, & S. Spiritus vulgo ad Miſericordias Dei in antiqua urbe Pragenſi ordinis S. Benedicti Sanctimonialium.

Prodromus gloriæ Pragenæ.

§. 2.

JOANNES THOMAS BERGHAUERUS.

Natus fuit Egræ 8. Octob. a. 1684. Filius erat civis Egrenſis Nicolai Berghauer. Abſolutis ſua in patria humanioribus litteris Pragam miſſus, & ad Seminarium Archiepiſcopale ſuſceptus, ſub rectoratu Hammerſchmidii Philoſophiæ ac Theologiæ eo cum profectu operam dedit, ut diſputatione ex univerſa Theologia a. 1707. ſummo cum adplauſu habita, Doctoris Theologiæ dignitatem paulopoſt adipiſceretur. Nonnihil prius, quam Juris Utrjusque Doctor renunciaretur, Joannis Adami Comitis Wratislaw de Mitrowitz Epiſcopi Reginæhradecenſis a ſecretis factus eſt. Anno hujus officii tertio in cauſis Domini ſui Pragam miſſus, cum in Metropolitana Baſilica ad altare S. Joannis Nepomuceni preces funderet, a Præpoſito Pragenſi Domino Joſepho Mayern præter omnem expectationem accerſitus intellexit, præfatum Dominum ad preces ejus ſua commendatione fulciendas eſſe paratiſſimum, ſi vacantem parochiam Czochavienſem a Patrono comite Antonio Joanne de Noſtitz & Rinek petierit. Obtinuit petitam Berghauerus; idque inter cætera haud parum ad id contulit, ut adeo zeloſus cultor, propugnator ac biographus S. Joannis Nepomuceni evaderet.

Parochiæ Czochavienſis poſſeſſione accepta (eſt vero Czochavia pagus circuli Litomericenſis ad amnem Bila, olim Rzechlowitz dictus, quadrante horæ diſtans a memorabili pago Stadicio, ex quo Przemislaus Bohemorum Dux ab aratro ad ducatum evocatus eſt), non ſolum in id incubuit, ut rite perſpecto creditarum ſibi ovium charactere moribus earum emendandis idoneus eſſet, verum magna ſimul diligentia hiſtoriam patriam ſibi apprime notam redderet, quo

eſſet tanto habilior conſcribendæ vitæ S. Joannis Nepomuceni, qui ſæculo XIV. ad S. Viti Pragæ Canonicus fuerat. Sufficientibus materiis indefeſſa diligentia collectis, primam operis hujus partem a. 1723. confecit, typisque tradidit. Hanc Carolo VI. Imperatori & Regi Bohemiæ dedicatam cum Pragæ præſentaſſet, magna cum voluptatis commonſtratione hisce verbis ab Imperatore ſuſcepta eſt: *Acceptamus & laudamus laborem tuum.*

Fama, quam inſigni hoc opere Berghauerus ſibi comparaverat, in exteras quoque regiones penetravit, ita ut a. 1725. a Cardinale Comite ab Althan, Vicerege Neapolitano Canonicatus Waccinenſis (zu Waitzen) in Hungaria & Rectoratus Seminarii eidem offerretur; quorum tamen neutrum Berghauerus amore Patriæ vetante & amicis diſuadentibus acceptavit. Anno 1728. factus eſt Berghauerus Canonicus Wiſchehradenſis non præbendatus; defuncto vero Decano Capitulari Joanne Wenceslao Ditrich a Lilienthal a. 1749. 18. Novemb. Decanus Wiſchehradenſis electus eſt, poſteaquam annis 33. parochiæ Czochavienſi magno cum fructu præfuiſſet. Ad ea usque tempora Capitulum Wiſchehradenſe ſuis antiquis privilegiis gaviſum eſt, manſitque ab Archiepiſcopo Pragenſi independens, ſoli Pontifici ſine medio ſubjectum. Exortis horum Privilegiorum ſub Berghaueri Decanatu impugnationibus, totum ferme decennium verſatiſſimus in hiſtoriis patriis Berghauerus in controverſiis & litibus transegit, quibus & immortuus eſt. a. 1760. 22. Martii.

Ejus Opera:

Protomartyr pœnitentiæ --- Divus Joannes Nepomucenus.

Apologia oder Schuzſchrift für den h. Johann von Nepomuk wider die luthriſche Heiligſprechung des ermordeten Dresdiſchen Prädikanten Hermann Hahn.

Bibliomachia, d. i. Bibliſcher Feldzug und Muſterung vieler jämmerlich verfälſchten Bibeln.

Liber memorabilium Eccleſiæ Tſchochavienſis.

Caput IX.

Nomina fundatorum ſextæ præbendæ ad Eccleſiam collegiatam Wiſchehradenſem a. 1773. fundatæ, uti & ſeries Canonicorum, qui ab eo tempore illa ſunt fruiti.

Præbenda junioris Canonici Wiſchehradenſis originem ſuam debet Venerabili ac Eximio viro *Joanni Franciſco Wrba*, Protonotario Apoſtolico, Decano Wolinenſi & per diſtrictum Prachinenſem Archiepiſcopali Vicario foraneo, qui vigore teſtamenti die 9. Januarii a. 1729. conditi Eccleſiam Wiſchehradenſem ſuam univerſalem declaravit hæredem, eum in finem, ut ex ejus Eccleſiæ legata ſubſtantia ſextus Canonicus reſidens fundaretur. Exortis poſt fata ejus haud vulgaribus litibus, per compactata ceſſerunt Eccleſiæ Wiſchehradenſi ſolummodo florenorum quatuor millia; quæ cum fundando novo Canonico nequaquam ſufficerent, erga cenſum annuum elocata ſunt, atque ſimul cum interuſurio erga cenſum elocato ad a. 1773. ſummam octo millium & quingentorum florenorum effecerunt. Eodem anno D. Carolus Joſephus Czizek, SS. Theologiæ Doctor, Canonicus Wiſchehradenſis non præbendatus, Parochus Tachlovicenſis ſeſe futurum præbendæ ſextæ Canonici Wiſchehradenſis confundatorem ſignificavit, & adaucto florenorum quatuor millibus prius memorato capitali neofundatam præbendam via optionis occupavit. Primus igitur Canonicus Wiſchehradenſis Wrboczizkianus anno 1773. fuit ipſe confundator D. Carolus Joſephus Czizek, qui mortuo paulo poſt Canonico reſidente Wenceslao Mrazek ad præbendam Lilienthalianam promotus, eodem anno in præbenda Wrbo-Czizkiana ſucceſſorem nactus eſt Illuſtriſſimum D. *Henniger* Lib. Baronem *ab Eberg*; cui ad Præpoſituram Novodomenſem promoto, anno 1776. ſucceſſit D. Auguſtinus Florentin

tin; huic anno 1777. D. Franciſcus Kyba; iſti a. 1778. D. Franciſcus Zigan; D. Ziganio a. 1784. Dominus Joachimus Preis de Wertempreis; Domino de Wertempreis a. 1790. D. Antonius Petſch; iſti a. 1794. Dominus Joannes Zatoczil de Löwenbruck; Zatoczilio a. 1800. Dominus Procopius Itz; huic vero anno eodem exeunte, quarta nimirum Decembris electus Joſephus Ditrichius.

Caput X.

Series Canonicorum ab a. 1748. ad reſidentias Wiſchehradenſes electorum.

Anno 1748.

Sub Decanatu D. Ferdinandi Caroli Chrzepiczky de Modliſchkowitz electi ſunt primi reſidentes quatuor Canonici, nimirum:

D. Nicolaus Daniel Kolbe Decanus Prachaticenſis.
D. Antonius Wenceslaus Pangratz Curatus Schumbergenſis.
D. Franciſcus Ignatius Pelikan Curatus Skalskenſis.
D. Joſephus Ignatius Wulterin, Curatus Wilimovienſis.

Anno 1756.

D. Joſephus Roſcher, ad Eccleſiam collegialem S. Apollinaris per viginti annos adminiſtrator.

Anno 1759.

D. Wenceslaus Michael Brandſteller, Parochus Swratecenſis.

Anno 1760.

D. Wenceslaus Mrazek, Decanus Pilgramenſis.

Anno 1761.

Dominus Joannes Kollarzik, Adminiſtrator Konarowicenſis.

Anno 1763.

D. Joſephus Auguſtinus Florentin, Curatus Steinenſis, Bohemus Pragenſis, a. 1799. electus Decanus capitularis.

Anno 1765.

D. Franciſcus Baro de Brigido, Canonicus honoris Reginæ-Hradecii.

Anno 1773.

Illuſtriſſimus Dominus Procopius L. B. Henniger ab Eberg.

Anno 1776.

D. Auguſtinus Florentin, Adminiſtrator Bozejovienſis.

Anno 1777.

D. Franciſcus Kyba de Kinitzfeld, Decanus Wolinenſis.

Anno 1779.

D. Franciſcus Zikan, Curatus Teutobielenſis.

Anno 1784.

D. Joachimus Preis de Wertenpreiſs, Adminiſtrator Koleczenſis.

Anno 1790.

D. Antonius Petſch, Ephorus juniorum Comitum de Sweerts & Spork, antea Profeſſor in Gymnaſio Reginæhradecenſi.

Anno 1794.

D. Franciſcus Ondrak, per annos complures Parochus Piſchelienſis.

An-

Anno 1799.

D. Joſephus Narciſſus Marſchalek Decanus & Archiepiſcopalis Vic. for. Dobrzichowicenſis, &

D. Joannes Zatoczil de Löwenbruck, Parochus ad S. Henricum Neo-Pragæ, quorum uterque utpote Canonici non præbendati via optionis reſidentias impetrarunt.

Anno 1800.

D. Procopius Itz, Parochus Drſchkowienſis, & eodem anno exeunte Joſephus Wenceslaus Ditrichius, emeritus Parochus Koſtenblatenſis & Decanus perſonalis Beznenſis, necnon Epiſcopalis Vicarius Neoboleslavienſis.

SERIES PRÆPOSITORUM
pervetuſtæ Regiæ collegiatæ Eccleſiæ ad SS. Apoſtolos Petrum & Paulum in urbe olim, nunc caſtro Wiſchehradenſi ad Pragam.

I.
BENESSIUS ſive BENEDICTUS.

Huncce fuiſſe primum fundatæ & munificentiſſime dotatæ Wiſchehradenſis collegiatæ Eccleſiæ Præpoſitum, ex diplomate fundationis a Rege Bohemiæ primo, Wratislao II. exarato, ad noſtram usque ætatem conſervato, & altero mox capite præmiſſæ ſuccinctæ hiſtoriæ recitato abunde patet. Eo in diplomate adpellat fundator beneficentiſſimus primum huncce Præpoſitum: *cariſſimum & familiarem ſuum, ejusdem Eccleſiæ defenſorem & Præpoſitum*; quibus compellationibus manifeſtum ſane reddit, quantopere Benedictum hunc æſtimaverit dilexeritque. --- Extructam a Benedicto Præpoſito fuiſſe Eccleſiam S. Pancratii in libero campo, Wiſchehradenſi olim urbi vicino, & in illam ad bellum usque Huſſiticum Capitulo Wiſchehradenſi jus patronatus competiiſſe, adfirmat noſter Hammerſchmidius. --- Obiit Benedictus Præpoſitus a. 1107. Ejus vero Corpus Wiſchehradenſi in Eccleſia conditum, a Tobia Cathedralis Eccleſiæ Pragenſis & Wiſchehradenſis Præpoſito, in templum PP. Minoritarum Beneſſovium fuiſſe translatum, antiqua monumenta docent.

II.

JOANNES, venerandi hujus nominis I.

Ex Canonico Wiſchehradenſi Decanus a. 1110; dein a. 1140. Præpoſitus, quatuor autem annis poſt, ob ſingulares, quibus ornatus fuit, virtutes in conſeſſu Cleri & Procerum Pragenſis Epiſcopus electus eſt, perorante pro eo perdiſerte Sobieslao Duce Bohemiæ, filio Wratislai II., dotatore & ornatore Eccleſiæ Wiſchehradenſis. — Servierat Joannes Eccleſiæ Wiſchehradenſi ut Canonicus, Decanus & Præpoſitus annis quinquaginta quinque. Obiit ſenex nonagenarius a. 1139., quinto Epiſcopatus ineunte anno. Hunc virum naturæ gratiæque donis inclytum, *ſenem ſuaviſſimum* veteres adpellant memoriæ.

Continuator Cosmæ ad a. 1134. hæc de illo refert: „Joannes „eo tempore Sanctæ Wiſchehradenſis Eccleſiæ Præpoſituram rege„bat, in perſona cunctos præcellens, omnibus affabiliter compla„cens, & in cæteris moribus Deo acceptus & hominibus; merito „itaque in culmen Pontificatus eligi, atque ſubditorum Paſtor Re„ctorque inſtitui promeruit.„

Longa maceratus ægritudine VI. Idus Auguſti migravit ad Superos a. 1139.

III. IV. V.

Succeſſit Joanni Præpoſito HUGO quidam, Hugoni ALEXANDER; verum de his cum nil memoria digni repertum a me fuerit, deſcendo mox ad Præpoſitum in ſerie quintum, nomine GERVASIUM.

Gervaſium ex Decano Wiſchehradenſi factum Præpoſitum, quantumvis ſacra infula annis plus quadraginta illuſtris Wiſchehradi vixerit, oppugnationi urbis Mediolanenſis adfuiſſe, omniaque & militis & boni Ducis officia in bello contra Mediolanenſes ſtre-

ſtrenue fuiſſe executum, Chronicon vetus MS. narrat & miris extollit laudibus, teſte Hammerſchmidio. Erant nimirum, ut frequenter ſuis in annalibus obſervat Cardinalis Baronius, ea tunc tempora, ut peculiari ſibi honori ducerent antiſtites, ubi ſibi licebat, Regibus in præliis commodare operam. —

In litteris membraneis fundationis cœnobii Plaſſenſis ordinis Ciſtercienſis, quibus Wladislaus II., cui Gervaſius fuerat in deliciis, monaſterium fundat, donatque prædium Patris ſui *Plaz* dictum; non minus ac in litteris fundationis cœnobii Litomyſchlienſis ordinis Præmonſtratenſium ab eodem Wladislao confirmatæ, ac adauctæ ſubſcriptus legitur Gervaſius Wiſchehradenſis Præpoſitus, utpote *Cancellarius*.

Non me fugit contra authentiam literarum fundationis monaſterii Plaſſenſis copioſa fuiſſe prolata in Archivo hiſtoriæ & ſtatiſticæ ab Equite Rieggero, Regii Gubernii in Bohemia conſiliario; nil tamen contra authentiam alterius diplomatis motum hucusque novi. Atque id eſt, quod perſuadet, ne Gervaſium, quintum Eccleſiæ noſtræ Præpoſitum, ſupremi Cancellarii dignitate fuiſſe inſignitum adſerere dubitem. Obiit Gervaſius a. 1178., ſepultusque fuit in Eccleſia Wiſchehradenſi.

VI.

BRZETISLAUS, qui & HENRICUS, regii ſanguinis Princeps, & annis quinque Bohemiæ Dux, ex Præpoſito Wiſchehradenſi jam alter Epiſcopus Pragenſis.

Fuit Brzetislaus Henrici III. Ducis Bohemiæ, fratris Wladislai II. Bohemiæ Regis, filius. A prima ætate bonis litteris cum navaſſet operam, ſcientiis philoſophicis & theologicis poſtea excultus, viro jam decrepito Gervaſio, Wiſchehradenſem adiit Præpoſituram Brzetislaus. Mortuo dein Valentino Pragenſi Præſule, Epiſcopatum eſt adeptus. Exacto in Epiſcopatu decennio a

Bohemis Dux eſt acclamatus, anno nimirum Chriſti 1191. Præclare ab eo adminiſtratum per annos quinque fuiſſe Bohemiæ Ducatum, annales noſtri memorant. Quo ſuam præcipue gubernandi rationem poſteris commendavit, iſtud eſt: quod cum ſub ejus regimine annona laboraret Bohemia, Brzetislaus ære proprio frumentum coemerit, largitionesque in pauperes ut fierent, præceperit, totamque Bohemiam velut alter Joſephus aluerit, ob cives ſervatos Deo carus ſubditisque peracceptus. — Mortuus eſt Egræ, ſepultus Doxanæ penes matrem ſuam Agnetem, Gertrudis Reginæ Bohemiæ, a qua Doxanenſe parthenon fundatum fuerat, conſobrinam.

De Brzetislai Præpoſiti Wiſchehradenſis, Præſulis Pragenſis & Ducis Bohemiæ rariſſima modeſtia ac virtute ſic canit Julius Solimannus Ducum ac Regum Bohemiæ Elogiaſtes:

Quam reliqui penſant, ambit me purpura: tellus
Quam colit, invito ſupplicat aula tibi:
Sceptra fugis, meritoque diu obluctaris honori,
Et prece vix populi Regna coactus adis.
Virtuti blanditur honor: ſed conſcia virtus
Ipſa fui, præter ſe, petit illa nihil.

VII.

FLORIANUS.

Hujus fieri mentionem adnotavit Berghauerus in membraneo inſtrumento Friderici Ducis Bohemiæ, quo ſuam a B. Petro flagellationem idem Dux fatetur. Legitur quippe ibi: Facta autem ſunt hæc ſub teſtibus: *Henrico Venerabili Epiſcopo Pragenſi, Przemisl & Wladislao fratribus meis, Floriano Præpoſito Wiſchehradenſi &c.*

VIII.

VIII.

SIGEFRIDUS, BARO AB EPPENSTEIN.

Exeunte ſæculo XII. factus Præpoſitus Wiſchehradenſis, ad Archipræſulatum Moguntinum a. 1200. eſt evectus, dein a Romano Pontifice Innocentio III. purpura galeroque cardinalitio ſub titulo S. Sabinæ, ut quidam memorant, eſt ornatus. Mentionem ejus ut Præpoſiti Wiſchehradenſis facit Henricus Epiſcopus & Dux Bohemiæ in diplomate ſuper emptione prædii prope Raudnicz ſiti a fratribus hoſpitalis in Jeruſalem, quod confectum eſt anno MCLXXXXIII., anno Epiſcopatus Henriciani XIII., Principatus autem II.

IX.

ARNOLDUS.

Fuit Przemislai Ottogari Bohemiæ Regis III., conſanguineus, paulo poſt factus Epiſcopus Segvienſis. Fit de illo mentio in privilegio, quo Ottogarus Przemisl, Rex Bohemiæ, cœnobio Litomiſchlienſi ad preces Walteri Abbatis remittit pœnam *Hlava*, diciturque hoc privilegium ad mandatum Regis per ejus Cancellarium Arnoldum Wiſchehradenſem Præpoſitum fuiſſe conſcriptum, & ſigilli Regii robore communitum. Videſis Berghauerum in Serie Præpoſitorum.

X.

TOBIAS DE STERNBERG.

Hic Baro erat patruus Jaroslai a Sternberg, inſignium virtutum heros, memorabilis de Tartaris apud Moravos victoris. Ab anno 1220. ad annum usque 1236. Wiſchehradenſis ac Pragenſis Præpoſitus, pertæſus tandem harum dignitatum, ordinem S. Franciſci Beneſſovii in fundato a ſe cœnobio eſt amplexus. Obiit a. 1261.

XI.

XI.
PHILIPPUS.

Nepos Wenceslai Ottogari Regis Bohemiæ IV. ex Bohuslava filia Przemislai Ottogari, Bohemiæ Regis III., & Udalrico I. Carinthiæ Duce, ex Præpoſito Wiſchehradenſi factus eſt poſtea Archiepiſcopus Salisburgenſis, & tandem a ſummo Pontifice Patriarcha Aquilejenſis. Obiit a. 1273.

XII.
WLADISLAUS.

Filius Henrici Probi Wratislavienſium Ducis ex Anna filia Wenceslai Ottogari IV. Regis Bohemiæ, ſingulari doctrina & eruditione, non minus ac innocentia vitæ ſeſe commendabilem reddidit. Rarum caſtitatis exemplum, cum in Paduanis adhuc ſcholis juvenis verſaretur, ab eo fuiſſe editum, memorat Hammerſchmidius; adductam nimirum ei clanculum a patre inope filiam fuiſſe formoſam, cui tantum abfuit, ut caſtus juvenis nocuiſſet, ut potius præſente patre, miſertus inopiæ, tantum argenti, quantum ad dotem honeſtumque conjugium ſufficeret, confeſtim numerarit, Joſephum Aegyptium caſtimonia, & S. Nicolaum Epiſcopum benefaciendo imitatus. --- Anno 1265. Archiepiſcopus Salisburgenſis, rem promovente Clemente IV. Rom. Pontifice, eſt creatus. ---

Memoratus Pontifex, quanti Wladislaum fecerit, ac quo in pretio ejus virtutes ſanctimoniamque habuerit, literis ſuis ad Wladislaum electum Salisburgenſem Epiſcopum directis, nec non in bullis ad Petrum electum Præſulem Paſſavienſem datis, prout eas legere eſt apud Hammerſchmidium, prolixe declaravit.

XIII.

DIONYSIUS.

Hunc inter Præpoſitum & Capitulum Wiſchehradenſe nata eſt controverſia circa quinquaginta duas refectiones a Præpoſito Canonicis præſtandas, ad quam terminandam electi arbitri Præpoſitum ad dandas Capitulo certas poſſeſſiones condemnarunt. Literæ ab arbitris hac ſuper re confectæ leguntur in Pontani Bohemia Pia fol. 97.

XIV.

PETRUS A REICHENSTEIN.

Scientia non minus, quam ſanguine illuſtris, Wiſchehradenſem Præpoſituram ab Ottone Brandenburgico pro pupillo Wenceslao Regni Bohemiæ Gubernatore ad a. 1278. impetravit. Hoc in honore cum novennium transegiſſet, præclaris in Imperio functus legationibus ita ſeſe Romanorum Imperatori Rudolpho I. commendavit, ut Epiſcopatum Baſileenſem ab eo conſequeretur. Ab hocce Præpoſito villas & bona, ab ejus deceſſoribus uſurpata, Capitulo Wiſchehradenſi fuiſſe reſtituta, probant litteræ ea de re confectæ ab Hammerſchmidio recitatæ.

Quamvis ſub ſapientiſſimo hocce Præpoſito per annos complures res Eccleſiæ Wiſchehradenſis in ſtatu feliciſſimo fuiſſent, in communi tamen Patriæ calamitate, occiſo in pugna Ottogaro Rege a. 1278., magnam prædiorum partem perdidere Wiſchehradenſes Canonici. Miſerabilem id temporis ſtatum deſcripſit Siffridus Miſnenſis in Epitome lib. II., ubi ita habet: „Rex Romanorum Ru„dolphus, & Ottogarus Rex Bohemiæ multis millibus pugnatorum „in campo Auſtriæ Marchfeld hoſtiliter ſunt congreſſi: ubi Rex „Bohemiæ a ſuis traditus, & ad mortem vulneratus occubuit. „Mortuo Rege clades totius Regni ſecuta eſt, ita ut per tricen„nium quotidie gens Bohemorum de terra ſua, fame compellente

„&

„& inopia, relictis domibus transmigrarent, venientesque in Thu„ringiam & Misniam, & alias partes Teutoniæ, miserabili inedia „per plateas civitatum mortui corruerunt.„

Anonymus vero apud Pessinam ita scribit: „Anno 1278 fa„ctus est timor magnus & turbatio per universam Bohemiam, & „Moraviam, qualis non fuit ex eo, ex quo regnum Bohemiæ sum„psit initium. Nam spolia multa & infinitæ excussiones Ecclesia„rum perpetratæ sunt, in monasteriis monachorum, cruciferorum, „sanctimonialium, in domibus fratrum minorum, & aliarum diver„sarum religionum collegiis. --- Incendia etiam innumera per to„tam Bohemiam facta sunt. &c.

XV.

JOANNES II.

Petro Præposito ad Basileensem Episcopatum promoto successit Joannes II. Przemislai Ottogari Bohemiæ Regis V. filius, favente fratre Wenceslao II. Bohemiæ Rege VI., sub annum 1289. Obiit a. 1298.

Id unum de illo adnotatum lego: venditam ab eo fuisse a. 1292. unam partem boni *Kamenmost*; ære vero per venditionem obtento emptam fuisse villam *Wrbczany*.

XVI.

JOANNES III.

Fuerat Joannes III. Wenceslai Regis Bohemiæ VI. ex vitrico ejusdem Joanne Zavischio & Regina Cunegunde communi matre frater. Wischehradensem Præposituram a. 1299. adiit, occiso vero Wenceslao Rege Bohemiæ VII. factus est Episcopus Olomucensis, sepultus Pustomiczii in Moravia in exstructo a se monasterio Virginum divi Benedicti. Vixit usque ad a. 1352.

XVII.

XVII.

PETRUS AICHSPALDIUS.

De hoc ait Chronicon Aulæ Regiæ c. 9. „Reverendus Pater „Dominus, natione Trevirenſis, Moguntinus Archiepiſcopus, ex„pertus & excellens medicus, ſapiens principum conſiliarius, vir „in omnibus eventibus mundanæ converſationis fortunatiſſimus.„ Fuit initio Canonicus ſuæ patriæ metropolitanæ Eccleſiæ Trevirenſis, paulopoſt Wiſchehradenſis factus eſt Præpoſitus, Regni Cancellarius & Princeps. --- Alberti, filii Rudolphi II., opera ad Epiſcopatum Viennenſem & Baſileenſem eſt translatus. Mortuo Moguntino Archiepiſcopo, cum ad vota Henrici Comitis Luxemburgenſis, nondum Imperatoris, (qui Petro Epiſcopo diu fuit uſus medico), ad Pontificem Clementem V. in cauſa impetrandi filio ejus Archiepiſcopatus Moguntini conceſſiſſet, Pontifici atroci morbo correpto intra triduum priſtinam valetudinem reſtituit, eoque rem promovente ad Moguntinam ſedem evectus eſt. — Præfuit dein Moguntinis, annis ſedecim, fundata ibi ac dotata inſigni Carthuſia.

Quod de illo præcipue commemorandum heic loci venit, iſtud eſt: per Petrum olim Præpoſitum Wiſchehradenſem, dein Archiepiſcopum Moguntinum Pragæ fuiſſe coronatum Joannem Henrici VII. Imperatoris filium, Bohemiæ Regem a. 1311. Annis vero abhinc quinque elapſis die 14. Maji baptizatum ab eo fuiſſe Carolum IV., Joannis Bohemiæ Regis ex Eliſabetha filia Wenceslai II. filium primogenitum, Regem Bohemiæ optimum, de quo ambigebat olim Balbinus noſter, an patris, aut matris potius Patriæ compellatione eum haberet ornandum, ob amorem tenerrimum, quo Carolus IV. Bohemiam eſt complexus.

Aliquot annis a coronato Rege Joanne manſiſſe Petrum Pragæ, ſuisque conſiliis, abſente Rege, diverſis bellis diſtento, mul-

tum profuiſſe Bohemiæ, Chronicon Aulæ Regiæ c. 1. memorat, quod & mortem ejus ad a. 1320. conſignavit, additis hisce verſibus:

„Præpoſitus Trevirenſis erat, poſt Wiſchehradenſis,
„Paſtor Viennenſis, & Præſul Baſileenſis,
„Moguntinus erat hic, quum Junius enſis
„Rictibus extenſis rapit hunc. Hic itaque menſis
„Eſt gravis offenſis, & fletibus hac nece prenſis.„

XVIII.
BERTHOLDUS DE LIPPA.

Hunc Bertholdum de Lippa filium Henrici de Lippa Præpoſitum Wiſchehradenſem Carolus IV. quadam in Bulla vocat: *Patruum ſuum & Principem dilectum.* Fieri de eo frequentius mentionem in Bullario adnotavit Hammerſchmidius. Libro erectionum 9. a Bohuslao Balbino vulgato ſub l. B. S. ad a. 1343. 6. Idus Maji legitur: *Nos Bertholdus de Lippa Dei Gratia Wiſchehradenſis Præpoſitus, ſupremi Regni Bohemiæ Cancellarius & Marſchallus.*

XIX.
NICOLAUS.

Fuit Joannis Regis Bohemiæ VII. filius, Caroli IV. frater. Patris beneficio primos Eccleſiaſticæ dignitatis gradus conſcendit, factus Decanus Olomucenſis, Præpoſitus Pragenſis & Wiſchehradenſis, tandem Patriarcha Aquilejenſis. Obiit Aquilejæ a. 1356.

Ab illo donatas Carolo IV. fuiſſe aliquas Sanctorum reliquias, nec non librum Evangelii auro & gemmis pretioſiſſimis ornatum, quem S. Marci Evangeliſtæ autographon eſſe judicaverat, quemque Cæſar Carolus IV. Metropolitanæ Pragenſi Eccleſiæ dein dederat, memorat Hammerſchmidius.

XX.

XX.

MARQUARDUS ſeu BURCHARDUS A REINDEK.

Elevato ad Aquilejenſis Patriarchatus apicem Nicolao, Caroli IV. beneficio Wiſchehradenſem Præpoſituram conſecutus eſt Marquardus, factus poſtea Epiſcopus Auguſtanus, tandem Patriarcha Aquilejenſis. Obiit a. 1381.

Sub hoc Præpoſito Capitulum Wiſchehradenſe ceſſit Carolo IV. Imperatori Eccleſiam S. Mariæ in Viridi (na trawnicku) ſub Wiſchehrado prope rivulum Boticz, & Eccleſiam SS. Cosmæ ac Damiani in nova urbe Pragenſi penes cœnobium Emautinum in Skalcis dictam, pro jure Patronatus in Chruſtoklad & Wozicz; uti patet ex litteris datis in Capitulo generali, quod feſto S. Georgii celebratum eſt a. 1368., ab Hammerſchmidio recitatis.

XXI.

THEODORICUS ſeu DITRICHIUS A KAGELMUND.

Hic humili loco natus natales compenſavit eruditione & induſtria. Ordini Ciſtercienſium cœnobii *Lenin* in Marchia Brandeburgica adſcriptus, mira œconomiæ induſtria Caroli IV. favori ſeſe inſinuavit, arces regias ære preſſas liberavit, ærarium oneri inſufficiens reſtauravit. --- De hoc œconomiæ peritiſſimo Theodorico ita narrat Dubravius Epiſcopus Olomucenſis, hiſtoriæ Bohemiæ lib. 22.

„Solertiſſimus (eorum, quorum ad diſponendam rem familiarem „opera & induſtria uſus eſt Carolus IV.) habitus eſt Theodoricus „Profeſſione Monachus, qui monaſterium Ciſtercienſe, in quo œco„nomus fuit, plurimis debitis multo tempore impeditum atque ex„manitum, ſic ſua diſpenſatione expeditum refertumque reddidit, ut „nunquam antea uberius fuerit. --- Hunc Carolus IV. ad ſe ac„ceſſitum, adeo tenui arci præfecit, ut qui prius illi præfuerunt, ex „annuis illius proventibus, nec ſe ipſos, nec familiam alere potue-

 „rint,

„rint, ſed neceſſe erat ex vicinis arcibus commeatum ſuppeditare. „At Theodoricus brevi oſtendit, in ſterili quoque arce, nihil æque „copiæ largitatique frugum & pabulorum conferre, ac ipſum præ„fectum, ſi laborem ſedulitatemque & curam propriam, non autem „alienam fideliter adhibuerit.„

De ſingulari hujus Theodorici induſtria perquam lepidam idem Dubravius hiſtoriam commemorat, quam & heic inſerere juvat.

„Debita opera Carolus Bohemiæ Rex, --- inquit Dubravius --- „ad arcem illam, quam Theodorico commiſerat, cum ſatis frequenti „comitatu improviſus venerat, præmiſſo indagatore, qui penum „Theodorici exploraret, in quo ſumma inerat penuria. Ei Rex „adveniens injungit, ut pro domeſtica copia ſubitum apparet jen„taculum. Gallinas ille & anaticulas ex chorte obvias pro menſa „regia obſonat. Cæterum ut ventres præterea tam multos eadem „celeritate impleat, hoc ſubitò excogitat, ut gregem ſuum, proxi„me arcem ſe paſcentem, invadat, nihil a ſingulis ſuibus præter „aures & caudas, tanquàm membra coco ad celeriter coquendum „habilia detruncans, illaque varie condiri, ac large hoſpitibus omni„bus apponi jubens. Admirante Rege, unde tantum petitæ offæ, „& inexpectatæ? Oſtendit illi Theodoricus truncas ſues, absque „ullo totius gregis detrimento offas illas inſtruxiſſe. --- Atque „ille vultu læto ſubridens. *Serve*, inquit, *bone, quia in pauca fuiſti „fidelis, ſupra multa te conſtituam.* Fecitque eum ſtatim ærarii „quæſtorem, tanto rerum ſuarum quæſtu, ut ex eo renundaret, non „ſolum ad liberandas arces æri alieno obnoxias, ſed ad novas etiam „comparandas & condendas.„

Obſequiorum a Theodorico ſibi præſtitorum deinceps memor Imperator Carolus IV., Theodoricum poſt fata Burchardi Wiſchhradenſem nominavit Præpoſitum, paulo poſt Præſulem Mindenſem, poſtea Magdeburgenſem creavit Archiepiſcopum.

Theo-

Theodoricum Wiſchehradenſem Præpoſitum & Mindenſem Epiſcopum a. 1360. fundaſſe cœnobium ordinis Ciſtercienſis in Skalicz non procul Kurimio, diplomata docent a Carolo IV. & Erneſto primo Archiepiſcopo Pragenſi confecta, ad hunc usque diem conſervata. Ait de illo ſuo in diplomate Carolus IV.: *Sane Venerabilis Theodoricus Mindenſis Epiſcopus, Præpoſitus Wiſchehradenſis, ſummus Regni Cancellarius, Princeps, Conſiliarius, & devotus noſter dilectus &c.*

Poſtremis vitæ annis relicto Magdeburgo Pragam venit Theodoricus, & in aula Caroli Cæſaris conſenuit, obiitque.

XXII.

HENRICUS DUX BRUNSVIGÆ.

Theodorico Præpoſito Wiſchehradenſi ad Archiepiſcopatum Magdeburgenſem promoto, ſucceſſit in Præpoſitura Henricus Brunsvigæ Dux, Carolo IV. Imperatore collatore. Hunc Henricum Chronicon Aulæ Regiæ fol. 27. adpellat Regis Cancellarium, virum legalem, in conſiliis & negotiis legalibus præcipuum. Imperator vero Carolus IV. in bulla collatæ Eidem Præpoſituræ manifeſte aſſerit, Præpoſituræ Wiſchehradenſi Principatum, nec non ſupremum Regni Cancellariatum adnexum eſſe. Factus eſt Henricus paucis poſt annis Epiſcopus Hildesheimienſis, eſtque mortuus ac ſepultus Hildesheimii in Eccleſia Cathedrali ante aram S. Catharinæ.

XXIII.

WILHELMUS DE LANDSTEIN.

Henrico Brunsvigæ Duci ad Epiſcopalem Hildesheimenſem infulam promoto in Wiſchehradenſi Præpoſitura ſuffectus eſt Wilhelmus ſeu Guilielmus Baro de Landſtein, ob ſacram eloquentiam, ſcientiarumque Theologicarum non minus, ac ſacrorum canonum peritiam, & in Carolina Univerſitate obtentam Doctoratus Lauream

Ca-

Carolo IV. peracceptus. Ab hoc Præpoſito, Regni Bohemiæ Cancellario, Domino in Lomnitz fundatos eſſe Lipnici Canonicos regulares, & Lomnicii exſtructum dotatumque fuiſſe ſacellum, libri Erectionum docent.

XXIV.

LAMBERTUS A BUREN.

Filius erat Guilielmi aurati equitis ex Alſatia. Studio litterarum adeo exculto ingenio, ut vix ei parem haberet Germania, ex monacho Neovillenſi ordinis S. Benedicti Abbas Gengenbacenſis, dein ex Decano Wiſchehradenſi ſeptennio prope Præpoſitus, poſtea a. 1368. Epiſcopus Brixienſis, poſt Argentoratenſis, quadriennio elapſo Spirenſis, poſt novennium Bambergenſis factus eſt. Adminiſtrato per annos viginti tres Epiſcopatu Bambergenſi, ad monaſterium ſuum Gengenbacenſe reverſus inter monachos obiit a. 1398.

XXV.

JOANNES IV.

Caroli IV. ex Henrico fratre nepos ordinem Præmonſtratenſium Litomyſchlii, ut complures autumant, profeſſus, ex Decano Wiſchehradenſi Præpoſitus, a. 1378. Epiſcopus Litomyſchlienſis ordine ſeptimus, anno tandem 1388. Patriarcha Aquilejenſis factus, obiit Aquilejæ a. 1400. --- Nihil hoc Principe fuit modeſtius, nihil ob morum probitatem amabilius.

XXVI.

RABANUS AB HELMSTAD.

Vacantem per Joannem ad Patriarchatum Aquilejenſem exaltatum Præpoſituram Wiſchehradenſem contulit Wenceslaus IV. Bohemiæ Rex Rabano ab Helmſtad; qui paulopoſt Epiſcopatum Spirenſem, dein vero Trevirenſem obtinuit Archiepiſcopatum.

XXVII.

WENCESLAUS KRALIKIUS DE BURNICZ.

Ex Decano Wiſchehradenſi a. 1399. Præpoſitus; dein vero Adminiſtrator Archiepiſcopatus Olomucenſis & Patriarcha Antiochenus factus eſt. Per hunc Præpoſitum a Bonifacio IX. R. Pontifice impetratum eſt privilegium, ut Eccleſia Wiſchehradenſis, quæ quidem ad hæc usque tempora exempta, ſed diœceſeos tamen Pragenſis audiebat, nullius diceretur diœceſeos. — Accingens ſe itineri ad Conſtantienſe Concilium, vitam finiit Svitaviæ, Moraviæ oppido, a. 1416., ſepultus in Eccleſia Olomucenſi.

XXVIII.

ALBICUS, medicinæ Doctor, Archiepiſcopus Pragenſis, dein Præpoſitus Wiſchehradenſis.

A Wenceslao Pigro, Imperatore & Rege Bohemiæ, cujus erat medicus, evectus eſt ad Archiepiſcopatum Pragenſem a. 1411; huic vero ſummæ in Bohemia Eccleſiaſticæ dignitati reſignavit a. 1413. in favorem Conradi de Wechta, Weſtphali, Epiſcopi Olomucenſis. — Potitus dein eſt Albicus Præpoſitura Wiſchehradenſi, quam ei ceſſit a. 1412. Wenceslaus Kralikius pro Epiſcopatu Olomucenſi.

XXIX.

JOANNES V. de PRAGA, dictus FERREUS.

Natione Bohemus honeſtis parentibus Pragæ ortus, abſolutis theologicis cum honore ſtudiis Canonicus Pragenſis, Præpoſitus Wiſchehradenſis, dein poſtremus Litomiſchlienſis ac ſimul Olomucenſis Epiſcopus, tandem — ingenti Pragenſis triurbis Gloria — S. R. Eccleſiæ Cardinalis factus eſt. — Cum Huſſitis ferrea manu frequentius congreſſus, victorioſo marte eos fudit, Ziſskam bis vicit; Epiſcopatus, Capituli & Eccleſiæ Olomucenſis bona ab Huſ-

ſi-

ſitarum direptione cuſtodivit ac ſervavit. De illo in ſerie Epiſcoporum Olomucenſium hæc habet Dubravius:

„Joannes de Praga in Epiſcoporum ordine trigeſimus ſecundus „ex Litomiſchlienſi ſede ad Olomucenſem poſtulatus variam fortu„nam expertus eſt, adverſante ſibi Wenceslao Romanorum & Bo„hemiæ Rege, ad cujus importunitatem quidam Alſo Canonicus „Wiſchehradenſis, favore hæreticorum & Conradi Archiepiſcopi „Pragenſis, pro Olomucenſi Epiſcopo per factioſos quosdam Cano„nicos fuit electus. Verum quum ea de re coram ſacro Concilio „Conſtantienſi controverſum eſſet, Joannis electio approbatur adeo, „ut in Cardinalium etiam Cœtum ſub titulo S. Cyriaci fuerit aggre„gatus. — Hic non Pontificem modo geſſit, ſed fortiſſimum & „militem & imperatorem, hæreticorum copiis ipſius auſpicio ſæ„pius fuſis. Cum is cataphracto etiam inſidens inſtructis eorum „aciebus identidem occurrere haud dubitavit, ob id vulgo ferreus „nuncupatus eſt. Obiit Strigonii a. 1480.

XXX.

CONRADUS, qui & CUNCZO, BARO de ZWOLE.

Wiſchehradenſem Præpoſituram a Rege Sigiſmundo ſibi conceſſam, eo quod a Ziſska ejusque ſequacibus ferro & flamma extreme turbaretur, haud in pace poſſedit. Factus Epiſcopus Olomucenſis, & Adminiſtrator Archiepiſcopatus Pragenſis, cum a. 1434. Sigiſmundum Imperatorem Baſilea in Hungariam comitaretur, Ulmæ in Suevia obiit.

XXXI.

PAULUS BARO DE MILICZIN, alias DE TALMBERG.

Nominatus Præpoſitus Wiſchehradenſis a. 1431., anno vero 1436. ad Olomucenſem Epiſcopatum eſt evectus. Res quasdam, etſi paucas, per Huſſitarum bellum ablatas Eccleſiæ Wiſchehraden-

denſi reſtituit; alias ſervavit. De illo hæc habet in ſerie Epiſcoporum Olomucenſium Dubravius:

„Paulus nobili genere de Miliczin natus, ex Præpoſito Pra„genſi ob memorabilem hominis probitatem, Eccleſiæ Olomucen„ſis Pontificatum ſuſcepit. — Multa hic Eccleſiæ bona ab injuſtis „poſſeſſoribus vel vindicavit, vel redemit, Eccleſiæque denuo red„didit: graviſſimis ob hoc hæreticorum perſecutionibus attritus, „quorum inſidias bis ægre effugit, armatis eum hoſtibus concita„tiſſime inſequentibus. Singulare in pauperes exemplum pietatis „dedit, quorum greges quocunque ibat, ipſum inſequebantur, præ „foribus hoſpitii ejus continue excubantes. Moritur tandem pius „Pontifex VI. Nonas Maji a. 1450. Brunæ in collegio S. Petri ſe„pultus, cui vivus fecerat bene.

XXXII.

JODOCUS A ROSENBERG.

Ex Decano Wiſchehradenſi factus Præpoſitus & Wiſchehradenſis & Pragenſis, item Grandis Prior Melitenſium, ac tandem Epiſcopus Wratislavienſis res catholicas in Regno Bohemiæ hæreticorum fraudibus in deterius quotidie labentes peregregie ſuccolavit & levavit. Obiit renunciando prius Præpoſituræ a. 1467.

XXXIII.

JOANNES VI. A RABENSTEIN.

Decretorum Doctor, Canonicus Pragenſis, dein Protonotarius & Referendarius Apoſtolicæ Sedis, a Ladislao Rege, decem diebus ante mortem hujus Regis a. 1457. ad Præpoſituram Wiſchehradenſem evectus eſt. Sub hoc Præpoſito grande decus & gloria Præpoſituræ, Eccleſiæ, & Capitulo Wiſchehradenſi amiſſa fuit, ſupremi nimirum Cancellariatus Regni Bohemiæ dignitas, quam parti Utraquiſticæ perquam addictus Rex Podiebradius, contra tot veter-

optimorum Regum ſacerrima decreta, abſtulit. Id ſequenti occaſione factum. Georgius Podiebradius contra jusjurandum, quo ſpoponderat fore, ut ſeſe verum catholicum Regem ſemper commonſtraret, paſſim agens, ac compactatis a Concilio Baſileenſi quidem impetratis, ſed a Pontifice velut pallium hæreſeos deinde annullatis, nimium quantum adhærens, Pontificem Pium II. contra ſeſe excitavit. --- Parabat Pontifex Georgium Eccleſiaſtico ferire gladio. --- Periculum igitur prævenire volens Georgius, Legatum Romam miſit die 18. Januarii a. 1460. Joannem de Rabenſtein, Præpoſitum Wiſchehradenſem & Regni Bohemiæ Cancellarium, qui nomine Regis Pontifici obedientiam (ſecreto tamen) exhiberet. --- Auditus quidem fuit Joannes a Pontifice ſecreto in Conſiſtorio; aſt, quia prohibente Rege obedientiam more aliorum Regum catholicorum præſtare renuebat publice, rejectum fuit ejusmodi clancularium obſequium, & aliud decens publicum & conſuetum fuit requiſitum. --- Rebus infectis cum Pragam redux factus fuiſſet Joannes a Rabenſtein, excanduit contra eum Georgius Rex ſuſpicatusque eſt, culpa Joannis accidiſſe, ut fruſtraretur cupitis, occulteque cum Pontifice colluſiſſe Joannem, ne legatio finem exſpectatum ſortiretur. --- Cum porro Joannes Rokiczana, Parochus partis Utraquiſticæ ad Eccleſiam Teynenſem Palæo-Pragæ, qui fuerat Regi ab intimiis conſiliis, Podiebradio ogganiret continuo: a ſacerdote ſub una, Cancellarii Regni officio fungente, nil pro compactatis parteque Utraquiſtarum utile ac proficuum ſperare licere, optandumque omnino eſſe, ut Rex Supremi Cancellarii munus a ſacerdote ſub una ſeparatum largiretur homini laico, etſi parti ſub una adhæreret, magis ab hujus modi ac a ſacerdote parti Utraquiſticæ conſultum iri: Georgius conſilium Rokiczanæ amplexus, ne tamen odioſa novitate partem ſub una ac potiſſimum Pontificem vehementer irritaret, ſi a præpoſitura Apoſtolicæ Sedi ſine medio ſubjecta tantam dignitatem, tot Ducum & Regum decretis, ac ſa-

cu-

culorum usu roboratam auferret, caute itaque agendum ratus, primum quædam, dein potiora negotia a Cancellario Regni Joanne ad suum Cancellarium Procopium de Rabstein, Joannis Consanguineum, ut vel necessitudine consanguinitatis obmutesceret Joannes, variis prætextibus transtulit. — Fuit vero Procopius jam sub Ladislao Rege Cancellarius Regis, non item Regni, uti id patet ex litteris Ladislai Hungariæ & Bohemiæ Regis, quibus omnia privilegia urbis Litomischlensis confirmat, datis Pragæ die 15. Julii a. 1454., Regni Bohemiæ primo. — Post hæc & ipsum Cancellarii Regni officium per publica comitia a Præpositura Wischehradensi Rex avulsit, imo statum ecclesiasticum universum sessionibus in comitiis Regni & Diætis privavit. Factum id esse post a. 1463. ex eo licet conjicere, quod in litteris Johannæ, Marchionis Moraviæ, Lucemburgensis & Silesiæ, a Berghauero citatis Joannes a Rabenstein deprehendatur adhuc subscriptus Cancellarius. Obiit Joannes a Rabenstein Budæ in Hungaria a. 1473.

XXXIII.

HANUSCHIUS BARO DE KOLOWRAT.

Hic Baro Bohemus, Dominus in Zbirow, catholicæ religionis observantissimus mortua conjuge statum ecclesiasticum a. 1467. amplexus, Canonicus Pragensis & Wischehradensis, tandem utriusque Ecclesiæ Præpositus evasit. Administrationem Archiepiscopatus Pragensis post mortem Hilarii Litomericensis a. 1468. suscepit, quo in munere heroica prorsus virtute pro fide catholica ab Hussi hæresi pressa decertavit. Plura de eo videsis in Gloria Metropolitanæ Ecclesiæ Radio 3. fol. 280. — Obiit a. 1483.

XXXIV.

JOANNES VIII. BARO DE WARTEMBERG.

Decretorum Doctor, Præpoſitus Wiſchehradenſis, Pragenſis & Litomericenſis, nec non Adminiſtrator Archiepiſcopatus Pragenſis, dum optimo religionis zelo, pietate ac eruditione florere inciperet, præcoci morte ablatus eſt a. 1508. Ejus Epicidium ſcripſit venuſtiſſimis verſiculis poetarum patriæ noſtræ facile princeps Bohuslaus de Lobkowicz, quod haud indignum eſt, ut heic adponatur:

Wartemberga Domus! cur ſic tua lumina manant?
Me miſeram! Columen corruit omne meum
Quis nam? Joannes, Lux ſacræ, & Gloria turbæ,
Spes Patris, fratrum, ſpes generisque ſui.
Illene, delegit cujus præcordia virtus
Æternam ſedem, perpetuamque ſibi?
Ille, ille, antiquæ præſignis origine, cujus
Majores, Patriæ grande fuere decus.
Qui Pandionias artes, muſasque colebat,
Cui probitas, Crœſi charior ære fuit.
Ecce etiam hunc Juvenem noſtro mors abſtulit orbi,
Cum ſinat immeritos vivere ſæpe diu.
Hunc, inquam, rapuit ſæviſſima, nempe perenni
Deſcriptæ leges ſic adamante jubent.
Dic precor ætatem, qua Nos vitamque reliquit?
Quatuor & totidem vidit Olympiadas.
Qua forma? flavus crines, facieque decorus,
Cuncto ſpirabat corpore forma genus.
Dic mores: Hoſtis ſcelerum, portusque bonorum,
Aſſidue lætus, cum gravitate tamen.
Quis clauſit tumulo? Genitor: ſed deſine, quæſo
Quærere: Nam lachrymæ dicere plura vetant.

XXXV.

THEODORICUS A TANDORFF.

Ex Decano Wiſchehradenſi factus Præpoſitus, vir erat morum gravitate ac multifaria eruditione inſignis. In locum Chriſtophori de Weitmil a Rege Wladislao Præpoſiti Wiſchehradenſis deſignati, eo quod hic caſtra potius ſequeretur, ſuffectus fuit.

XXXVI.

GEORGIUS GELCZ.

De hoc Præpoſito nil memorandum duxi, niſi obtinuiſſe eum a Ferdinando I. confirmationem Privilegiorum Capituli Wiſchehradenſis vigore inſtrumenti dati in caſtro Pragenſi die 10. Auguſti a. 1528.

XXXVII.

PETRUS EQUES DE BECHINIE.

Obtinuit a Ferdinando I. poteſtatem redimendi bona Eccleſiæ a. 1541., recepitque originales fundationis & aliorum Eccleſiæ ac Capituli privilegiorum litteras, quæ centum aliquot annis contra Huſſitarum turbas Crumlovii abſconditæ cuſtodiebantur cum parte ſupellectilis pretioſæ.

XXXVIII.

BOHUSLAUS EQUES AB HODIEJOWA.

Hunc Præpoſitum cum Joanne ab Hodiegowa omnium doctorum, qui ejus ætate vixerant, per Bohemiam Mœcenate confudit Hammerſchmidius, & poſt eum Berghauerus.

XXXIX.

XXXIX.

JOANNES A CAVALLERIS.

Ex Archiducis Ferdinandi Eleemoſynario factus Præpoſitus, abdicata præpoſitura, abiit in Italiam patriam ſuam.

XL.

ZBYNKO BARO BERKA DE DUBBA ET LIPPA.

Humanioribus non minus ac ſeverioribus ſcientiis inſigniter excultus, ſeptem Eccleſiarum fuit Canonicus. Tres Romani Pontifices ſuum eſſe Camerarium Zbynkonem voluerunt. Ad præpoſituram Wiſchehradenſem promotus, Magiſter quoque Generalis Crucigerorum cum rubea ſtella factus, ac dein a. 1592. Archiepiſcopus Pragenſis conſecratus eſt. Sub hoc Præpoſito ædificatum fuit presbyterium Eccleſiæ Wiſchehradenſis, ut teſtantur ejus inſignia in fornice depicta. Archiepiſcopus factus, ditionibus eſt auctus, domum Archiepiſcopalem penes arcem Regiam exſtruxit, titulum Principis a Rudolpho II. recuperavit, ſynodum diœceſanam, cujus pro formando & reformando Clero Bohemiæ exſtant typis impreſſa ſanctiſſima decreta, celebravit. Obiit a. 1606.

XLI, & XLII.

FELIX A LINDA, & BENEDICTUS DE CHISCH & SPITZBERG.

Petrus a Linda Wiſchehradenſis Præpoſitus vetus organum Eccleſiæ Wiſchehradenſis ære proprio exſtruxiſſe memoratur. Benedictus a doctrina & ſacra eloquentia commendatur.

XLIII.

XLIII.

INNOCENTIUS MONIGA ITALUS.

Ex capellano aulico Rudolphi II. Imperatoris & Bohemiæ Regis factus Præpositus Wiſchehradenſis multas tricas cum Decano Capitulari Joanne ab Altendorf habuit. Exſtat in Archivo Capit. Wiſchehrad. transactum eum inter & Decanum decreto Archiepiſcopali ad mandatum Aulæ confirmatum de a. 1598. Reſignavit Præpoſituræ a. 1608.

XLIV.

CASPARUS ARSENIUS DE RADBUZA.

Ex patricio Plsnenſi Sacerdos, dein Scholaſticus Pragenſis, poſt reſignationem Innocentii Moniga a Rudolpho II. Præpoſitus Wiſchehradenſis nominatus eſt. Illo Eccleſiæ Wiſchehradenſi Præpoſito ad a. 1612. in generali omnium Canonicorum congregatione nova ſtatuta Capituli ſunt condita, quæ legere licet in MS., quod in Archivo Capitulari adſervatur. Obiit a. 1629., reſignata compluribus ante obitum annis Præpoſitura in favorem Pauli Piſtorii Decani Wiſchehradenſis, quam tamen Ferdinandus II. Imperator & Rex haud ei contulit, ſed Joanni Chryſoſtomo Kiliano.

XLV.

JOANNES CHRYSOSTOMUS KILIANUS.

Obtenta poſt Caſpari Arſenii reſignationem Præpoſitura id egit Joannes Chryſoſtomus Kilianus, ut bonum Zitenicz, quod olim Capitulo Wiſchehradenſi a fundatore ejusdem Wratislao II. donatum fuerat, pro ſeſe impetraret. Obtinuit a Ferdinando II. enixe petitam gratiam. Bonum iſthoc, quod ad noſtros usque dies Præpoſitis Wiſchehradenſibus eſt proprium, exulante a. 1620. poſt victo-

riam

riam Albomontanam a Cæſareis obtentam familia de Raupowa cum Wenceslao Barone de Raupowa, ſupremo Pſeudoregis Friderici Palatini Cancellario, (quæ familia Zitenicium inde a Ziſcæ temporibus male parta incubatione poſſederat), ad fiſcum regium perductum eſt. — Legavit Kilianus Præpoſitus pro ſummo altari in Eccleſia Wiſchehradenſi erigendo ſexcentos imperiales, ante quod ad cornu Evangelii ſepultus eſt. Obiit a. 1626.

XLVI.

VINCENTIUS ZUCCONI ITALUS.

Præpoſitura Wiſchehradenſi a Ferdinando II. Imperatore, a Pontifice vero Roſſenſi Epiſcopatu honoratus eſt. Gratiam Ferdinandi II. per id ſibi comparavit, quod matrimonium Eleonoræ cum Ferdinando Imperatore & Rege Bohemiæ ad finem perduxerat. — Poſſedit in circulo Chrudimenſi dominium Richnovienſe, ubi & in Eccleſia SS. Trinitatis ſepultus eſt. Obiit a. 1635.

XLVII.

FERDINANDUS LEOPOLDUS BENNO COMES DE MARTINICZ.

Hic præclarus Jaroslai Comitis de Martinicz, Regni Bohemiæ Mareſchali & dein ſupremi Burggravii (quem die 23. Maji a. 1618. hæterodoxi Nobiles ex cancellariæ Regiæ feneſtra præcipitaverant), & Mariæ Euſebiæ de Lobkowicz filius qua Præpoſitus Wiſchehradenſis inſtallatus eſt a. 1635. Ægrotante Decano Wenceslao de Ruzowa ceremonias inſtallationis peregit Simon Broſius ab Horſtein, ſenior Canonicus Wiſchehradenſis, Præpoſitus Pragenſis, Archiepiſcopus Trapezuntinus, in præſentia Archiepiſcopi & Cardinalis ab Harrach, Domini Jaroslai Parentis, & aliorum complurium Regiorum locumtenentium. Obiit a. 1691. exſtructa

eccle-

ecclesia parochiali Zitenicensi, & legatis parochiæ Zitenicensi quinque millibus florenorum.

XLVIII.

HUGO FRANCISCUS COMES DE ET IN KÖNIGSEEK.

Solemni ritu installatus est die 2. Maji a. 1698. a Joanne Benol Decano Wischehradensi per procuratorem Matthiam Macht a Löwenmacht, Canonicum Pragensem & Wischehradensem. Factus dein est Episcopus Litomericensis, Ecclesiæ Colonensis Decanus, & Principis Electoris supremus Præfectus. Obiit Bonnæ die 6. Septemb. a. 1720.

XLIX.

JOANNES ADAMUS E COMITIBUS WRATISLAW DE MITROWICZ.

Celebri solemnitate installatus Wischehradi fuit die 15. Decembris a. 1709. Ejus præsertim munificentia Ecclesia Wischehradensis novam pulchritudinis faciem induit, ita ut veteri magnificentiæ non parum accessisse videatur, quam & die 25. Junii, quæ erat Dominica IV. post Pentecosten a. 1730. in præsentia Capitularium & frequentia populi solemni ritu consecravit. Factus est Episcopus Regino-Hradecensis, dein Litomericensis, & tandem die 5. Maji a. 1733. Archiepiscopus Pragensis nominatus, die 2. Junii anni ejusdem in itinere, quod gratias acturus Viennam fecerat, est mortuus.

L.

CAROLUS JOSEPHUS COMES A MARTINICZ.

Joanni Adamo Comiti Wratislaw in Wischehradensi Præpositura a. 1734. successit Carolus Josephus Comes a Martinicz, oc-

upavitque ſedem Præpoſitalem ad annum usque 1769. — Ejus ab præpoſitura fundati fuere quatuor Canonici reſidentes, prout d pluribus §. 10. Capitis VII. præmiſſæ hiſtoriæ ſuccinctæ commemoratum eſt.

LI.

CESLAUS GOTTHARDUS S. R. I. COMES ET SEMPER FREY A SCHAFFGOTSCH, L. B. DE TRACHENBERG ET CHINAST.

Poſt fata Caroli Joſephi Comitis de Martinicz collata fuit præpoſitura Wiſchehradenſis ab Auguſtiſſima Imperatore & Rege Bohemiæ Maria Thereſia Ceslao Gotthardo Comiti a Schaffgotſch, L. B. de Trachenberg & Chinaſt, antea Præpoſito Wratislavienſi. Occupavit eandem ad annum usque 1781; cujus die Octobris 15. obiit.

L. II.

FERDINANDUS KINDERMANN EQUES A SCHULSTEIN.

Carolo Joſepho Comite de Schaffgotſch e vivis ſublato Clementiſſimus Imperator & Rex Bohemiæ, JOSEPHUS IIdus, bene memor ſingularium meritorum, quæ Decanus quondam Kaplicenſis, dein Decanus Capitularis Capellæ Regiæ ad OO. SS. Ferdinandus Kindermann Eques a Schulſtein, ſcholas nationales in bonum ſtatum redigendo, ſibi comparaverat, Eidem vacantem Præpoſituram Wiſchehradenſem conferre dignatus eſt. Inſtallatus fuit Wiſchehradi a. 1782. Anno demum 1790. ab Joſepho II. Imperatore ac Rege noſtro paucis diebus ante obitum hujus indefeſſi Monarchæ Epiſcopus Litomericenſis deſignatus, diem poſtremum obiit Litomericii anno 1801. die 25. Maji. — Quanta huic Præpoſito & Præſuli in acceptis habeam referenda ego, non eſt hujus loci proferre in medium. Quæ pro conſervatione Capituli præſti-

literis in recenti sunt memoria. Dabitur fors de his alio tempore differendi causa & occasio.

LIII. & sæculi XIX. I.

PROCOPIUS L. B. HENNIGER AB EBERG.

Quod pridem jam factum non est, ut quis ex Capitularibus Wischehradensibus, prouti Joannes quondam I. ad sedem præpositalem Wischehradensem ab Augustissimis Bohemiæ Regibus præsentaretur; Sua Cæs. Regia Majestas Franciscus II. Rex noster clementissimus in persona Reverendissimi ac Illustrissimi DD. Procopii L. B. Henniger ab Eberg per annos 26. Præpositi Neodomensis renovare dignata est die 23. Decembris anni elapsi, quo præposituram Wischehradensem vigore præsentationis, in qua merita & virtutes neoelecti Reverendissimi Præpositi uberius commemorantur, ex compluribus magni nominis Candidatis conferendam duxit Ei, qui ad Ecclesiam Wischehradensem a. 1773. Canonici residentis dignitatem possederat. —

Ab hoc neopræsentato Reverendissimo, Amplissimo ac Illustrissimo Præposito sperans Capitulum Wischehradense optima quæque pro emolumento gloriaque sua, gratulatur sibi non parum, quod in Eo Superiorem ac Defensorem adquisierit, reducensque sibi in memoriam, quanta Majores Ejus *) pro religione catholica Regeque Bohemiæ eo accurate tempore, quo omnia sus deque nostra in patria vertebantur, quoque Wischehradense capitulum excidium est perpessum, præstiterint, in spem inducitur fore, ut per Procopium Benedictum, primi nostri Præpositi Benedicti dignissimum Successorem, Ecclesiæ & totius Capitularis Corporis defensorem, (uti quidem a fundatore primus mox Præpositus adpellatur) a Sua Cæs.

*) Videatur diploma Augustissimi Regis Sigismundi Illustrissimæ familiæ Hennigerianæ ab Eberg datum, ad calcem hujus seriei ex Originali recitatum.